


# PALAESTRA

## LATINA



ANN XXXV (Fasc. III) – N. 191  
M. SEPTEMBRI – A. MCMLXV

# PALAESTRA LATINA

Trimestres litterarum latinarum commentarii CAESARAUGUSTAE edendi

**PRETIUM MITTATUR OPORTET AD ADMINISTRATOREM:**

**San Antonio M.<sup>a</sup> Claret, 37 - ZARAGOZA**

**vel ad Procuratores singularum nationum**

**Scripta ad Moderatorem: PP. Claretlanos - ALAGON (Zaragoza)**

Constat in Hispania et America Hispanica: 80 pesetis; in Gallia: 10 francis; in Italia: 1.200 libellis; in Germania: 8 marcis; in Anglia: 15 solidis; in reliquis civitatibus, 2 dollaribus.

Depósito Legal L - 12 1958

Editur Ordinarii et Superiorum permissu

## INDEX

ANN. XXXV (Fasc. III) N. 191

M. SEPTEMBRI A. MCMLXV

L. M. SANSEGUNDO, O. S. B., <i>De parataxeos usu apud Q.</i> <i>H. Flaccum</i> . . . . .	97
J. M. MIR, C. M. F., <i>Nova et Vetera: Autumnus</i> . . . . .	108
J. MORABITO, <i>Ultimus Laertae dies</i> . . . . .	113
L. GUERCIO, <i>Vita S. Antonii M. Claret summis lineamentis</i> <i>adumbrata</i> . . . . .	119
N. MANGEOT, S. J., <i>Alexander Magnus</i> . . . . .	124
E. M. QUINTANA, O. S. B., <i>Calendarium perpetuum memoriter</i> <i>utendum</i> . . . . .	130
J. ARAMENDIA, C. M. F., <i>Per Orbem</i> . . . . .	135
BIBLIOGRAPHIA, <i>Aguirre, Aramendia</i> . . . . .	138
RISUM TENEATIS . . . . .	141
<i>Aguirre, De numerorum momento in vita hodierna.</i>	
<i>Sarmiento, Albi cygni temeritas et poena.</i>	
<i>Munguía, Divites discant.</i>	
<i>Villalta, De medico Menecrate.</i>	
<i>Moll, Pastoris et apri fabella:</i>	
<i>Aramendia, Χαίρη, Μαρία (cantilena 4 v.).</i>	
<i>Pérez, Aenigma Vergilianum.</i>	

# PALAESTRA LATINA

LITTERARUM LATINARUM COMMENTARII  
A SOCIIS CLARETIANIS EDITI

ANN. XXXV (FASC. III) — N. 191

M. SEPTEMBRI

A. MCMLXV

## DE ΠΑΡΑΤΑΞΗΣ USU APUD Q. H. FLACCUM

Hanc lucubrationem exarare incipienti subito in animo pervulgatum dictum: “Ad quid ligna in silvam ferre?”.

Nam supervacaneum fortasse videbitur in Horatiano genere dicendi tempus insumere. Siquidem, quae hactenus edita sunt, inquires, ad satietatem sufficere possint. Neque abnuo. Paene innumera exstant volumina et dissertationes de Horatio ejusque lingua pertractantia, quae enumerare nullo modo possem. Si ergo tot et tam multi sunt qui in hac re laborarunt, ad quid ligna, ut ajunt, in silvam ferre?

Verumtamen, si ea volumina verses, facile deprehendas fere omnes hoc dumtaxat in viro, alioqui litteratissimo, praedicare: videlicet, Flaccum esse poetam undequaque absolutissimum, in pangendis autem versibus mira dexterritate praeditum, immo carminum suavitate et dicendi copia hominum animos mirifice afficere, sententiarum pondere in quam ipse velit partem concitare et inclinare universos... Fere numquam “auream illam mediocritatem”, quam ipsemet profitetur, laudibus ornant, sed silentio praeterire solent, cum mea quidem sententia, poetarum virtutes mediocritate quadam contentas esse existimandum sit.

Sicut in Marco Tullio, omnes ejus orationes in caelum ferunt, et maximam illi laudem pro eis tribuere solent, quasi numquam, stilo tenui ac mediocri, de senectute, exempli gratia, aut de amicitia locutus esset (ut ait noster Menéndez y Pelayo), sic Horatii carmina tantum laudibus cumulant itaque dilaudant, ut epistolas ejus et satiras minoris pretii aestimare videantur.

Et tamen, hac aurea mediocritate sive aequabilitate, de qua ante dicebam, Flaccus et satiras et epistulas conscripsit. Hoc autem dicendi genus, ut

omnes norunt, neque majestatem verborum habet, neque gravitatem illam sententiarum, quae in sublimi stilo est, sed potius est genus pressa oratione limatum —quamvis elegans— et simplex.

Hanc autem simplicitatem ei tribuit praesertim figura illa dictionis, quae vocatur “*Parataxis*”. Igitur, parataxis est figura stili mediocris maxime propria, ut infra patebit, quae apud Flaccum frequentius occurrit tum in epistulis, tum etiam in satiris, quippe quae hanc sermonis jucunditatem et gratiam conferat, quas Horatio ubique et semper doctissimi quique tribuere soliti sunt.

## I. DE PARATAXI GENERATIM SUMPTA APUD LATINOS ET GRAECOS

Antequam ad Horatianam parataxim deveniamus, non inutilis enucleatio prorsus exstiterit, si paululum in hujus vocis origine et significatione, in lectorum gratiam immorabimur.

Παρατάξις. latinae *parataxis*, idem sonat atque *co-ordinatio*. Antiquitus, in lingua nimirum militari, sensu quidem proprio, significat “*instructionem aciei* ut POLYB., 6,26,11:

Τὸ κατὰ τὰς πορείας... καὶ παρατάξις χειρισμοῦ τῶν δυνάμεων

aut etiam *aciem instructam*. Vel sine adjunctione, *aciem*, *praelium*, *conflictum*. Significavit quoque *spatium inter duas acies* POLYB. 15,12,3: Τὸ μεταξὺ χωρίον τῶν παρατάξεων.

Παρατατικὸς autem, extendendi seu protendendi vim habet. Apud grammaticos vero παρατατικὸς χρόνος dicitur tempus quod Latini appellant *Praeteritum imperfectum*, quoniam quoddam temporis spatium designat. Alii, quoniam eo significatur *extensum tempus* in rem, quae agebatur, nondum perfectam: ut, “Cum tu legeres, ego scribebam”.

Porro, in lingua quoque grammaticali *parataxis* idem sonat atque *co-ordinatio*, quae est ordo rei alicujus cum altera. *Parataxis* ergo, definiri poterit “orationum complexio per simplicem additionem facta, demptis omnino particulis quibuslibet conjunctionis”. Vel si mavis —et quidem satius definita a rethoricis existimabitur—, est quaedam loquendi vel scribendi ratio, quae dictionem seu loquelam reddit vividiorum. Haud aliter se res habet atque in figura quae appellatur *asyndeton* in qua ommittitur conjunctio, ut incitator feratur oratio. Haec constructio jam apud scriptores graecos invaluit. Sic, ut nonnullos saltem memorem, SOPH. *Oed.* 1367: Νῦν αἶδε μ’ἐκσώζουσιν. αἶδ’ ἐμαὶ τρόφοι αἶδ’ ἄνδρες..., et XENOPH. *Anab.* 7.1: Ἐχεις πόλιν, ἔχεις τριήρεις, ἔχεις χροῖματα.... in quibus *asyndeton* emphatice infertur ope figurae quae dicitur *ἀνάφορα*. Aliquando vero omittebatur γάρ vel ἄρα, exempli gratia: HOM. *Il.* II, 217.

Et alia hujusmodi bene multa afferre possum. Simili autem modo conjunctiones ommittuntur ut “effectus” ille vividioris narrationis consequatur. Quod apud latinos passim legentibus occurrit. Sic, etiam omissa conjunctione,

dicimus in schola: *oro discas, cave credas, velim facias* (pro *oro ut discas, cet.*), in quibus conjunctione “ut” sublata, locutio et brevior efficitur et celerior. Itaque CAESAR in *Bello Gallico* sic habet:

“Velim vos neglegentiae paeniteat, nolim me laboris taedeat, mallet hujus te sceleris puderet, sine vivam, die veniat, fac cogites qui sis. Huic mandat Remos reliquosque Belgas adeat.”

Uti videre est, *volo, nolo, malo, sino* et alia verba dicendi et sentiendi, et maxime petendi et rogandi, suadendi, monendi, imperandi, permittendi, fere adhibentur sine UT, cum sensus perspicuus per se sit.

Agedum, structura hujusmodi, quae dicitur *paratactica* invenitur imprimis apud poetas scaenicos et comicos, praesertim apud Plautum et Terentium. Item, reperitur in scriptis de re philosophica, cum auctor viros disputantes et inter sese colloquentes inducit; item in epistulis, ut puta Ciceronis et Plinii. Hoc in casu licet revera loqui de parataxi omnino naturali vel sponte facta. Quae res ut fiat planior, exempla dabo, quae ex auctoribus excerpere libuit: PLAUT. *Capt.* 326: Scio, ego, multos jam lucrum homines lutulentos reddidit. TER. *Hec.* 350: Omnem rem narrabit, scio, continuo sola soli. SALL. *Cat.* 52,13: Bene et composite C. Caesar de vita et morte disseruit, credo, falsa existumans ea, quae de inferis memorantur. CIC. *Att.* 2,11,1: Narro tibi, plane relegatus mihi videor. TER. *Heaut.* 588: recte dicit, censeo. APUL. *Met.* 5,14: Quantum putas boni nobis in ista geris perula! Cetera.

## PARATAXIS HORATIANA

His generatim dictis, licebit jam ad rem propius accedere, et parataxim horatianam, quam mihi proposui discutiendam, breviter, quantum fieri poterit, perstringere.

I. *Parataxis verbi “inquam”*. Obviam occurrunt formae verbales *inquit* et *inquam*.

a) Saepe saepius, scriptorum instar ceterorum, Flaccus in propositione recta exprimenda, forma utitur *inquam*, quae quidem toti orationi vel ejus saltem parti postponitur. Cum hic usus paratacticus a vulgato genere dicendi omnino non recedat, satis esse puto, si nonnullos tantum locos in lectorum gratiam attexam:

*Sat.* I,1,62: Nil satis est, inquit, quia tanti tantum habeas sis.

2,32: Macte / virtute esto, inquit, sententia dia Catonis...

2,57: Nil fuerit mi, inquit, cum uxoribus unquam alienis.

3,23: Verba putas, Egomet me ignosco, Moenius inquit.

3,126: Cur optas quod habes? Non nosti quid pater, inquis, / Chryssipus dicat...

5,59: Ni foret exsecto frons, inquit, quid faceres.

4,79: Laedere gaudes / Inquis, et hoc studio pravus facis.

- 9,7: —Noris nos, inquit; docti sumus.  
 9,14: Nil respondebam — Misere cupis, inquit, abire.  
 9,40: Dubius sum quid faciam, inquit; / Tene relinquam an rem.  
*Sat.* II,2,99: Jure, inquis, Trasius istis / Jurgatur verbis...  
 3,39: Te quidquam indignum: pudor, inquit, te malus urget.  
 3,319: Si magis inflaret: non si te ruperis, inquit, / Par eris.  
 6,90: Tandem urbanus ad hunc: “quid te juvat, inquit, amice”.  
 8,43: “...haec gravida, inquit, / Capta est.  
*Ep.* I,7,93: Si velles, inquit, verum mihi ponere nomen.  
 16,35: “Pone meum este”, inquit: pono, tristisque recedo.  
 II,2,40: Ibit eo quo vis qui zonam perdidit, inquit, / Romae nutriri mihi contigit...

b) Praeterea, octies hanc formam *inquam* orationi rectae insertam vel etiam postpositam invenias:

- Sat.* I,9,5: Suaviter ut nunc est, inquam; et cupio omnia quae vis.  
 9,8: Hoc, inquam, mihi eris. Misere discedere quaerens.  
 9,70: Nulla mihi inquam / Religio est.  
 10,64: Fuerit Lucilius, inquam, / Comis et urbanus.  
 II,3,276: Modo inquam, / Hellade percussa, Marius cum praecipitat se...  
 7,22: Furcifer? —At te, inquam, — Quo pacto, pessime?  
 8,27: Nos, inquam, cenamus aves, conchyilia, pisces...

c) Aliquando vero occurrunt etiam formae *inquis*, *inquimus*, raro autem “inquiet”, cum aliis in locis alia verba in earum locum succedant:

- Sat.* II,1,5: Quid faciam praescribe — Quiescas — Ne faciam inquis / Omnino versus...  
 I,3,66: Communi sensu plane caret, inquimus. Eheu.  
 II,5,42: Nonne vides (aliquis cubito stantem prope tangens / inquiet) / ut patiens.

d) *Parataxis verbi “aio”*. (Inveniuntur formae *aio*, *ait*, *aiebat*, *aiunt*).

Verbum *aio* ita orationis obliquae, ut *inquam* orationis rectae proprium esse grammatici docent; sed particula “ut”, adjecta forma *aio*, orationi item rectae inseritur. Haud semel quidem, verbum *aio* pro *inquam* apud Horatium ita usurpatur, ut propositioni rectae vel inseratur vel toti orationi ejusve parti postponi soleat. Itaque, forma *ait* invenitur novem locis:

- Sat.* I,1,5: “O fortunati mercatores” gravis annis / Miles ait, multo jam fractus membra labore.  
 3,22: Quidam ait, ignoras te? aut ignotum dare nobis.  
 II,2,40: Vellem, ait Harpys, gula digna rapacibus.  
 6,116: Est opus hoc, ait, et valeas...  
*Ep.* I,6,42: Qui possum tot? ait: tamen / et quaeram...

7,32: Cui mustela procul, si vis, ait, effugere istinc.

7,91: Durus ait, Vultei nimis attentusque videris.

19,43: Si dixi, "rides, ait, et Jovis auribus ista / Servas.

Sat. II,2,139: Non servatis ait, cui sic extorta voluptas.

Bis vero, verbis, quae proferuntur, anteponitur:

Sat. II,3,289: "Juppiter ingentes qui das adimisque dolores / mater ait pueri menses jam quinque cubantis".

Ep. I,18,28: Vult, et ait prope vera: "meae" (contendere noli)...

Uno tantum loco, *ait* et *ais*.

Ep. I,16,47: "Nec furtum feci neque fugi" si mihi dicat / Servus habes pretium; loris non ureris, *ait*.

Sat. II,7,72: Non sum moechus, *ais*. Neque ego.

Quattuor fere locis, *ajebat*; semel vero *ajebam*:

Sat. I,4,115: ...deprensus non bella est fama Treboni, / *Aiebat*.

II,8,65: "Haec est condicio vivendi *aiebat*: eoque / Responsura tuo nunquam est par fama labori.

Ep. II,3,439: Quintilio si quid recitares / "corrigere, sodes, / Hoc, *aiebat*, et hoc.

Ep. I,15,40: Non hercule, miror, / *aiebat* si qui comedunt bona...

Sat. I,9,12: ...o te Bollane, cerebri / Felicem *aiebam* tacitus.

*Aiunt* duobus locis:

Sat. II,2,64: Et horum / Utrum imitabitur? Hac urget lupo, hac canis, *aiunt*.

Ep. I,1,59: At pueri ludentes, "Rex eris, *aiunt*, si recte facies".

Nunc gressum faciamus, transeamusque ad

## II. VERBA DICENDI ET SENTIENDI (*dico, clamo, credo, opinor, puto, censeo*).

Verba quoque dicendi et sentiendi apud principes latinae linguae scriptores, modo certe paratactico exhibita, non parum invenire licet, idque et prosa et versa oratione. V. g.: TER. *Heaut.* 588 recte dicit, censeo. PL. *Rud.* 1269 censem, hodie despondebit eam mihi, quaeso? PL. *Asin.* 151: Opinor, hic ante ostium meo loquar modo, quae volam. CIC. *Tusc.* 1,87: haec, opinor, incommoda sunt carentis.

Quod spectat ad Flaccum, ea solum exempla proferam, ubi cum verbo dicendi enuntiatum alterum conjunctum est primario, ita ut enuntiatum substantivum a verbo pendeat, hoc pacto: *Ep.* I,7,60: Dic ad cenam veniat, ubi *dic* vim verbi imperandi prae se fert, ut sententia idem sonet atque "ei impera ut veniat".

Nec silentio praeteriisse velim duos Horatii locos, in quibus imperativus *dic* cum interrogatione recta conjunctus apparet:

*Ep.* I,1,62: Roscia dic sodes, melior lex an puerorumst / *Nenia*...

*Ep.* I,16,31: Respondesne tuo, dic sodes, nomine.

Quae conferre iuvabit cum versu plautino: Prius dico, hanc mancipio nemo tibi dabit (PL. *Pers.* 589)

Ceterum, uno dumtaxat loco verbum *clamo* paratactice, et quidem raro, apud Horatium reperies: *Sat.* II,1,45: Melius non tangere, clamo.

Eundem fere paratacticae structurae usum, quem in verbo *dico*, ita quoque in verbo *credo* invenire potes:

*Sat.* II,2,89: Rancidum aprum antiqui laudabant, non quia nasus / Illis nullus certa, sed credo, hac mente...

*Sat.* II,7,68: Evasti: credo, metus doctusque cavebis.

Eandem ferme significationem quam *credo*, verbum *opinor* habet. In sequentibus paratactice positum est, quod quidem, ut supra monuimus, in familiari sermone obviam occurrit quam maxime. Exemplo sint:

*Ep.* I,16,78: Opinor / Hoc sentit, "moriar".

*Sat.* I,3,53: Opinor / Haec res et jungit, junctos et servat amicos.

*Ep.* II,2,17: Ille ferat pretium poenae securus opinor.

Quod autem spectat ad verbum *video*, duos solummodo locos invenire potui qui paratactico modo se nobis offerant:

*Sat.* II,2,35: Ducit te, species, video.

*Ep.* I,14,21: Fornix tibi et uncta popina / Incutiunt urbis desiderium, video.

Conferas illud TERENTII *Eun.* 714: Non potest sine malo fateri, video. IDEM *Hec.* 770: Noster socer, vides, venit.

Eodem modo sequenti loco futurum *censebo*, forma item paratactica adhibetur:

*Ep.* I,14,44: Quam scit uterque, libens, censebo, exerceat artem. Quo in loco Flaccus, nisi fallor, futurum tempus metri causa usurpasse videtur, ubi forma praesens, scilicet *censeo*, recta foret.

Quod attinet ad verbum *puto*, paratactice positum, personam secundariam *putas*, adjecta particula enclitica *ne* interrogativa, enuntiato primario anteponitur. Ita, exempli gratia: *Sat.* II,5,76: Putasne / Perduci poterit tam frugi tamque pudica / quam nequiere proci recto depellere cursu?

Sed de verbis dicendi et sentiendi hactenus. Nunc pergamus ad.

### III. VERBA ORANDI ET POSTULANDI (*quaeso, obsecro, obtestor, oro*).

Res est non comperta nemini hujusmodi verba passim apud auctores, et aureos et argenteos, ut dici solet, reperiri, tum vineta tum soluta oratione. Sensum praeterea hortativum habent, idque fere semper, ne dicam semper. Exempli ergo: PL. *Amph.* 923: Per dexteram tuam te, Alcumena, oro, obsecro te, da mihi hanc veniam ignosce. TER. *Andr.* 595: Nunc te oro enitere. CIC. *Att.* 12,42,3: sed, obsecro, evitamus. IDEM *Att.* 4,8,1: dic, oro te, clarius. APUL. *Met.* 2,29: desine jam, precor. Exempla multiplicare facillime possum.

Apud Flaccum vim certe hortativam inesse in verbo *quaeso*, imperativis



adjecto, liquido patet. Insuper, haud ita valde differt ab usu verbi *quaeso* usus vocis *obsecro*, quod non nisi conjunctum cum verbo *obtestor*, paratactica identidem forma, invenitur.

Ceterum, in Satiris horatianis, praeter unum locum, quo interrogatio verbum *Oro* sequitur instar imperativi — Sat. I,7,33: Per magnos, Brute, deos te / Oro, qui reges consueris tollere, cur non / Hunc regem jugulas? —bis subjunctivus solutus cum *oro* conjungitur, ut exemplis patebit inferius:

Sat. I,10,51: Age, quaeso / Tu nihil in magno doctus reprehendis Homero?

Ep. I,7,94: Quod te per Genium dextramque deosque Penates / Obsecro et obtestor vitae me redde priori.

Sat. II,4,5: Sed des veniam bonus oro.

Sat. II,6,13: Hac prece te oro / Pinguae pecus domino facias et cetera praeter / Ingenium, utque soles custos mihi maximus adsis.

Memoratu dignus est etiam locus ille:

Sat. II,6,34: Ante secundam / Roscius orabat sibi adesses ad Puteal cras. / De re communi scribae magna atque nova te / Orabant hodie meminisses, Quinte reverti.

Formas autem *orabat* et *orabant* hic sequitur conjunctivus solutus, cui conjunctio *ut* adjectam se habet.

IV. PARATAXIS SUBJUNCTIVI MODI (cum verbis *sino*, *volo*, *malo*, *curo*, *caveo*).

Constructio paratactica adhibetur ubi conjunctivus solutus ponitur, aliquibus adjectis verbis, atque enuntiatum primum loco enuntiatum secundarii locatur. Primum afferamus exempla quattuor, in quibus verbum *sino* cum conjunctivo soluto conjungitur:

Ep. I,16,70: Sine pascat aretque / Naviget ac mediis hiemet mercator in undis / Annonae prosit, portet frumenta penusque.

Ep. I,17,32: Refer et sine vivat ineptus.

Sat. II,3,38: Cave faxis / Te quicquam indignum.

Sat. II,5,75: Cave te roget.

Non erit abs re hic attexere haec Livii suffragia: 8,38,13: Sine modo sese praeda praepediant; et 2,40,5: Sine sciam.

Multo crebrior est usus conjunctivi in verbis *volo*, *nolo*, *malo* et *caveo*, ac praesertim in formis *velim*, *nolim*, *vellem*, *nollem*, quae cum conjunctivo soluto aptatae adhibentur. Apud Flaccum hi duo fere loci, quod sciam, inveniuntur:

Ep. II,2,57: Quid faciam vis?

Sat. I,5,51: Nunc mihi paucis / Sarmenti scurrae pugnam Messique Cicirri, / Nusa velim memores.

Deinde, ut conjunctivi soluti usum totum exsequamur, afferamus oportet versus illos Horatianos, in quibus verbum *licet* cum conjunctivo qui dicitur

concessivo conjunctus apparet. (Hujusmodi tamen conjunctivus postea redibit)

*Sat.* I,2,81: Sit licet hoc, Cerinthe tuum.

*Ep.* I,16,76: Nempe pecus rem / Lectos, argentum tollat licet.

*Ep.* I,17,58: Nec semel inrisus triviis attollere curat / Fracto crure planum,  
licet illi plurima manet / Lacrima, per sanctum juratus dicat  
Osirium.

Liquido patet hoc loco "licet" jam ad particulae notionem pervenisse.

Porro, pro forma *licet*, futurum *licebit* positum est, fortase metri causa, in *Sat.* II,2,59: Licebit / Ille repotia, natales aliosve dierum / Festos albatus celebret.

Quin et apud auctores pluries hoc modo paratactico reperire est: TER. *Ph.* 347: Postilla jam, ut lubet, ludas licet. CAT. *R.R.* 83: Licebit faciat.

Postremo, meminisse juvabit verba *necesse est et oportet* oratione item paratactica usurpata, quae apud omnes fere scriptores trita sunt:

*Sat.* I,3,111: Jura inventa metu injusti fateare necesse est.

*Ep.* I,2,49: Valeat possessor oportet.

#### V. PARATAXIS IMPERATIVI MODI (cum verbis *eo* et *abeo*)

Apud Horatium imperativus "i" et forma composita "abi" notionem monendi habent.

Aliquando occurrit *eundi* verbi imperativus cum altero imperativo particula copulativa conjunctus:

*Ep.* I,6,17: I nunc, argentum et marmor vetus aeraque et artes / Suscipe,  
cum gemmis Tyrios mirare colores.

*Ep.* I,7,71: Nunc i, rem strenuus auge.

*Ep.* I,7,53: Abi, quaere et refer.

*Sat.* I,10,92: I puer atque meo citus haec subscribe libello.

*Ep.* II,2,76: I nunc et versus tecum meditare canoros.

#### VI. DE VARIA PARATAXEOS FORMA PRO DIVERSA VERBORUM RATIONE

Nunc vero agendum est de parataxi, quam temporalem, potentialem, concessivam appellandam statui, quippe quae variam verbi formam induit, quae reipsa denotat tempus, condicionem, concessionem. Et revera, si unquam alias, in hac certe constructione, oratio, ut fluvius qui summa rapiditate fertur, sic consueto gradu celerior incedit, adeo ut raptim vel celeritate ut ita dicam maxima ingredi videatur.

Atque in primis de

a) *Parataxi temporali.*

Quamvis inusitata sit, semel tamen occurrit: unum namque exemplum inveni, ex quo conicere licet, etsi rara certe sit, non prorsus autem obsoletam censeas. Vigoris autem efficiendi causa apud Horatium exstat:

*Ep.* 1,6,56: Si bene qui centa, bene vivit, lucet eamus / Quo ducit gula.  
Ubi *lucet*, loco enuntiati temporalis, simultaque *illuxit* positum est.

Tempus etiam invocat praeceptum illud: “Brevis esse laboro / obscurus fio”, perinde ac si diceret: “Poetae dum vitium aliquod vitare student, decepti specie recti, in aliud incidunt”. (*A. Poet.* 25 ss.)

Huc spectat, nisi fallor, quamquam non idipsum reapse sit, parataxis illa temporalis in qua scriptor quamdam temporis notionem significat, ommissa conjunctionis particula. Itaque OVID. *Met.* 2,47: Vix bene desierat, currus rogat ille paternos. TER. *Ph.* 594: Vixdum dimidium dixeram: intellexerat. CIC *Att.* 2,15,3: Nondum plane ingemueram, Salve, inquit, Arrius.

Cujusmodi est illud Horatii:

*Sat.* 1,9,1/3: Ibam forte Via sacra, sicut meus est mos, / Nescio quid meditantans nugarum, totus in illis: / Accurrit quidam, notus mihi nomine tantum, / Arreptaque manu: “Quid agis, dulcissime rerum?”.

b) *Parataxis potentialis.*

Conjunctivus, qui dicitur potentialis, in protasi paratactica a Q.H. Flacco usurpatur compluribus locis. Crebro autem invenias apud scaenicos, ut illud PLAUTI: *Pseud.* 105: Argentum des: abducas mulierem. Apud Tullium vero passim legitur; ex. gr.: *N.D.* 1,57: Roges me, qualem deorum naturam esse ducam: nihil fortasse respondeam; quaeras, putemne talem esse: nihil dicam mihi videri minus. *Ad Fam.* 10,10,2: Sit modo aliqua res publica...; omnibus, mihi crede, amplissimis honoribus abundabis. Cetera.

Flaccus autem ita habet:

*Ep.* 1,16,54: Sit spes fallendi, miscebis sacra profanis.

*Sat.* II,3,292: Casus medicusve levarit / Aegrum ex praecipiti mater delira necabit / In gelida fixum ripa...

*Sat.* II,6,39: Dixeris, 'experiar': si vis potes addit et instat.

*Sat.* I,3,15: Decies centena dedisses huic..., quinque diebus nil erat in loculis.

*A.Poet.* 439: Melius te posse negares... delere jubebat.

c) *Parataxi concessiva aut condicionalis.*

Ab enuntiatis condicionalibus minime differt enuntiata concessiva. Hujusmodi structura quam maxime usurpatam videmus apud scriptores omne generis, tum populares tum elegantiores.

Parataxeos igitur forma, quae in sententiis ratione concessiva cohaerentibus occurrit, ejus similis est, quam supra in enuntiatis condicionalibus invenimus. Porro, imperativus enuntiati concessivi loco ponitur, sicuti apud PL. *Merc.* 770: “Cras petito, dabitur; nunc abi”. CICERO vero in *C.Tusc.* ubi philosophos inducit colloquentes et forma veluti “dynamica” (venia sit verbo) loquitur, dicit: “Quaere, tum denique intelleges” (1,29); “tolle hanc opinionem, luctum sustuleris” (1,30); “Adduc militem, mulier videbitur” (2,37;

2,28); "Confer, tum intelleges" (5,99); "Remove, jam videbuntur" (4,53,54); cet. Similiter Cat. R.R. 121: "Id mane jejunus sumito cyatum: proderit".

Flaccus autem dicit:

Sat. II,7,68: Evasti: credo, metues doctusque cavebis. [Pro *ut evaseris* (supuesto que), credo te doctum esse et capturum.]

Sat. II,3,69: Scribe decem a Nerio: non est satis; adde Cicutae [ Nodosi tabulas centum, mille adde catenas: / Effugiet tamen haec sceleratus vincula Proteus.

Sat. II,7,73: Non sum moechus, ais. Neque ego, hercule, fur, ubi vasa / Praetereo sapiens argentea.

Alioqui, imperativi loco exstat subjunctivus, qui dicitur concessivus. Saepius autem conjunctivus hujuscemodi usu venit apud Horatium loco enuntiatii secundarii (cf.: CIC. *Phil.* 11,19: Assensus ero: ambitionem induxero in curiam; negaro: videbor suffragio meo... honorem homini amicissimo denegavisse. Et OVID. *Trist.* 1,11,25: Attigero portum, portu terrebor ab ipso).

Ejusdem farinae sunt haec:

Sat. I,1,45: Milia frumenti tua triverit area centum: Non tuus hoc capiet venter plus ac meus...

Sat. II,2,126: Saeviat atque novos moveat Fortuna tumultus: / Quantum hinc imminuet?...

Sat. II,3,57: Clamet amica / Mater, honesta soror cum cognatis, pater, uxor: / Hic fossa est ingens, hic rupes maxima: serva! / Non magis audierit...

*Ep.* I,1,28: Non possis oculo quantum contendere Lynceus, / Non tamen idcirco contemnas lippus inungi.

*Ep.* I,10,24: Naturam expellas furca, tamen usque recurret.

Aliquando vero adhibetur *ind. praesens*:

Sat. I,3,56: Probus quis nobiscum vivit, multum demissus homo: illi / tardo cognomen, pingui damus.

Sat. 2,3,258: Porrigis irato puero cum poma, recusat: / —Sume, catelle! —Negat. Si non des, optat. Amator / Exclusus qui distat?

His similia sunt illa Juvenalis: 3,100; 8,25; 13,227, quae adde, sis.

## VII. PARATAXIS PRONOMINIS DEMONSTRATIVI

Tum denique, strictim saltem expendamus formam illam paratacticam, in qua pronomen demonstrativum HAC se habet tanquam antecedens, et ut animus magis ad ea, quae sequuntur, dirigatur, ipsum enuntiatum substantivum requirit, cujus loco enuntiatum primum ponitur. In promptu sunt auctorum exempla, praesertim TERENTII AFRI, quorum dicta ad hanc rem magis collustrandam, hic attexere placuit: *Heaut.* 795: Verum illud, Chremes, dicunt: jus summum saepe summast malitia. *Ad.* 163: Crede hoc, ego meum jus persequar; 345/46: hoc relicuomst, si infitias ibit, testis mecum est annulus; *Eun.* 898: Crede hoc meae fide: dabit hic pugnam aliquam demmo. Item CICERO *Att.* 15,2,2 et alia.

Flaccus autem hos versus habet:

- Sat.* 1,4,9: Nam fuit hoc vitiosus: in una hora saepe ducentos, / Ut magnum, versus dictabat stans pede in uno.
- Sat.* 1,3,4: Saisus habebat / Ille Tigellius hoc: / Caesar qui cogere posset / Si peteret per amicitiam patris atque suam, non / Quicquam proficeret.

Sed manum de tabula, nam brevitati consulo. Nunc rerum summulam lectoribus afferam.

Ut ex dictis patuit, *parataxis* nihil est aliud quam sententiarum simplicissima jungendarum ratio, quae non solum in sermone familiari et cottidiano pervulgata fuit, sed etiam apud poetas scaenicos, qui illius sermonis usum diligenter imitari studuerunt. Quin etiam, nedum apud poetas comicos, sed etiam apud elegantiores adhibita fuit, ut constat ex Flacco, cuius omnis generis exempla delibare placuit.

Simplex, inquam, dicendi ratio est, quatenus conjunctiones respuit et coordinationem reddit faciliorem, seclusis omnino particulis, adeo ut ad sermonem miscendum in familiari hominum vita accomodatius habeatur. Quin etiam, scriptores et poetae elegantiores, ne ita numerosa sit periodus vel etiam versus, ut illam arte et gloriose factam, patefiat, neve ligatam orationem carmenque redoleat, sententiarum brevitatem longioribus orationis anfractibus miscere gaudent. Id autem in epistulis optime cadit, sed potissimum in satiris, nam satira est poema, quo objurgando vel irridendo exprimuntur vitia, ut ab iis homines absterreantur.

Postremo, Horatium maxime delectat, (carminibus exceptis), “aurea mediocritas”, quae, relate ad genus litterarium, constat stilo mediocri seu aequabili, qui medium quemdam locum obtinet sublimem inter et infirmum; inter hos medius est et quasi temperatus atque in neutro excellens, est utriusque particeps.

Enimvero, in hunc praecipue mediocre stilum omnes verborum veneres et venustates, omnes deliciae solent illigari, teste Tullio. Inter has autem veneres non postrema videtur esse parataxis sive coordinatio, quae felicem et facilem pressumque sermonem parit, juxta illud Petronii (*Sat.* 118): “Horatii curiosa felicitas”; immo et jucunditatem confer et gratiam, ut autumat Quintilianus: “Horatius fere solus legi dignus. Nam et insurgit aliquando et plenus est jucunditatis et gratiae et varius figuris et verbis felicissime audax”. (*Ins.* 10,1,96). Denique, testimonium Lipsii (*Epist. Quaest.*, 2,9): “Horatius... placidus, lenis, quietus, monet saepius quam castigat; sed ita praeclare tamen hoc ipsum, ut in ea parte et arte nihil possit supra eum”.

Ex quibus efficitur Flaccum in carminibus pangendis certe antesignanum dubio procul haberi; sed in aurea, quam professus est mediocritate, una omnium voce, poetarum facile principem aestimari necesse est.

LEO M. SANSEGUNDO, O.S.B.

In Abbatia Benedictina Montisserrati  
Ad Barcinonem (in Hispania)

# NOVA ET VETERA

## AUTUMNUS

1. Autumnus, cujus tepescentes auras, media fervente aestate, saepe desideravimus, nobis tandem adest. Ipse benignis auris et pluviis extremos solis aestus propellit ac temperat, noctem diuturniore cursu volvit diemque minuit, quo homines placidiori somno indulgeant; agricolam munerat ac ditat “cum pomis exuberat annus” et “varios ponit fetus autumnus” (VERG., *Georg.*, 2, 116;2,521). Qua gestit laetitia agricola cum fructus collectos numerat atque in granario in annum recondit, aut cum dexteram aere sentit onustam!

2. Quamvis secum quaedam afferat incommoda autumnus, —ut est nebulosus et frigesceus, adventante jam hieme, cum ostium, januas, fenestras vehementibus ventis pulsat, cum arborum frondes percutit ac deicit, cum aves: hirundines, coturnices, turdos<sup>1</sup>, palumbes, turtures, ciconias, cardueles<sup>2</sup>, canarias<sup>3</sup>, aliasque in calidiores terras compellit...—, habet tamen optima secum: quaedam in mentem revoca.

3. Colonus cum servis arborum et terrae ultimos fructus colligit: zeam<sup>4</sup>, rapa<sup>5</sup>, raphanos<sup>6</sup>...; reposita in cella penaria habet cicera, phaseolos, tubera solani, lentes, vicias<sup>7</sup>, quibus domum nutriat et animalia domestica saginet. Olivae adhuc pendent in arbore; rustica<sup>8</sup> nonnullas in salsuginem<sup>9</sup> condidit, reliquas agricola brevi ad trapetum<sup>10</sup> deducet quae terantur et in purum olei liquorem mutantur.

4. Vindemiatores<sup>6</sup> cum filiis in vineto<sup>11</sup> conspicis. —Vitis<sup>6</sup> oblongos emittit palmites, quos ut sustentet “quasi manibus claviculis<sup>12</sup> utitur, eisque quidquid nacta est, complectitur” (CIC. *C.M.*,15,52). Racemi undequaque pendent, suoque colore, ut dulce donum gustemus, invitant. Maturatae sunt enim uvae, et quid hoc fructu pulchrius, quid eo suavius? Illum in deliciis habetis vos, pueri, cum merendam<sup>13</sup> ad vesperam sumitis, illumque post prandium in lance fructuaria<sup>14</sup> cum aliis tragematis<sup>15</sup> bona vobis mater apponit.

5. Racemi ex vitibus in cistis et corbibus seponuntur, quas plaustra ad torcularia<sup>16</sup> deportant, ubi calcatores pedibus et prelo<sup>17</sup> uvas exprimunt: primum inde mustum idque optimum emanat; quodsi denuo vinacea<sup>18</sup> sub prelo coniciuntur, mustum inde circumcidaneum<sup>19</sup> defluit. Cum autem mustum jam deferbuit, vinum in cupas<sup>20</sup>, in dolia<sup>21</sup>, in cados<sup>22</sup>, in utres<sup>23</sup> mittitur.

6. Plurimae sunt vini utilitates et genera: in quibus album, asperum, dulce, passum, campanicum<sup>24</sup>, spumans, cet. Ex vino alcohol<sup>25</sup> seu spiritus vini ad multa utilia educitur; ex quo etiam comparantur aquae ardentes<sup>26</sup> et liquores, ut anisatum<sup>27</sup>, coniacum<sup>28</sup>, canneus seu rhodium<sup>29</sup>...



## AUTUMNI DONA INSPICE IISQUE FRUERE!

- |                                    |                           |
|------------------------------------|---------------------------|
| 1. quercus, us f.                  | <i>encina</i>             |
| 2. corbis, is f.                   | <i>cesta, cesto</i>       |
| 3. cadus, i                        | <i>barril, tonel</i>      |
| 4. racemus, i                      | <i>cuba</i>               |
| 5. piscina lignea                  | <i>racimo</i>             |
| lacus vinarius                     | <i>uva</i>                |
| 6. vindemiator, oris m.            | <i>compuerta</i>          |
| 7. vinea, ae                       | <i>vendimiador</i>        |
| 8. vitis, is f.                    | <i>viña</i>               |
| 9. castanea, ae                    | <i>viñedo</i>             |
| saccus castanearum                 | <i>vid, cepa</i>          |
| 10. castanearum venditrix; tostrix | <i>castaña</i>            |
| 11. machina torrefaciens           | <i>saco de castañas</i>   |
| 12. propola circumforaneus         | <i>castañera</i>          |
| 13. nanus, i                       | <i>tostador</i>           |
| 14. capito, onis m.                | <i>vendedor ambulante</i> |
| 15. scurra, ae m.                  | <i>enano</i>              |
| mimus, i                           | <i>cabezudo</i>           |
| 16. columba internuntia            | <i>payaso</i>             |
| columbus remeans, ntis             | <i>paloma mensajera</i>   |
| 17. velarium, ii                   | <i>entoldado</i>          |
| vela protecta                      |                           |

18. viri circenses	<i>cómicos ambulantes</i>
19. raeda, ae	<i>carro, carromato</i>
20. circus, i	<i>circo</i>
21. signum nationale	<i>bandera nacional</i>
22. globus aërius	<i>globo</i>
23. rota ignivoma	<i>rueda (pirotécnica)</i>
24. carrus automobilis	<i>camión</i>
carrus automotorius	
autocarrus, i	

7. Tempore autumnali ineunte, cum aestus aliquatenus remisit ardorem et agricolae maximam segetum et fructuum partem congesserunt, multis locis celebrantur festa popularia —quae et majora <sup>30</sup> vocantur—. In his —publicis sollemniis celebratis sacrisque matutinis peractis, quae Sanctis Patronis dicantur—, gigantes, nani <sup>(1)</sup> <sup>31</sup> capitonesque <sup>(14)</sup> <sup>32</sup> saltitant choreasque ducunt; emittuntur globi aërii <sup>(22)</sup> <sup>33</sup> et columbae internuntiae <sup>(16)</sup> <sup>34</sup>; equi circumforanei<sup>35</sup> circumeunt, et currus incursantes —dum exspectantes miros edunt risus— inter se arietantur <sup>37</sup>; viri circenses <sup>(18)</sup> <sup>38</sup> et petauristae<sup>39</sup> cum omni <sup>21</sup> familia scaenica<sup>40</sup> mira patrant; nocte spectantium oculis missilia pyria <sup>41</sup> vario colore exhibentur. Primo tonitrua <sup>42</sup> et crepitantia <sup>43</sup> disploduntur <sup>44</sup>, deinde volantia <sup>45</sup> et caudae ignitae <sup>46</sup> emittuntur; sequuntur stellae crinitae <sup>47</sup> et cincinnatae <sup>48</sup>, stellarum pluvia <sup>49</sup>, serpentinae <sup>50</sup>, turbines <sup>51</sup>, denique ignivomae rotae <sup>(23)</sup> <sup>52</sup> convertuntur. Alii, his diebus, equorum et birotarum cursibus <sup>53</sup> exercentur, aut in pediludio <sup>54</sup>, in taeniludio <sup>55</sup>, ut principatum <sup>56</sup> apud cives vel apud exteros obtineant, contendunt; alii vero tauromachiam <sup>57</sup> aspicientes magnopere delectantur.

8. Nonnulli in displodendis armis ignivomis voluptatem capiunt, et tela, glandes <sup>58</sup>, globulos <sup>59</sup> in discum <sup>60</sup> —in orbiculos vel triangulos divisum— aut in columbas emittunt; centrum qui attigerit vel aves, praemio muneratur.

9. In his festis popularibus nonne vos, pueri, saepenumero vidistis pro polas circumforaneos <sup>(12)</sup> <sup>60</sup>, qui mensam in via vel ante tabernam instraverant —ut vetula illa Anna <sup>(11)</sup>, castancarum venditrix— magna voce clamantes: “Accedite, pueri, emite!, has castaneas molles gustate; e machina torrefacienti <sup>(10)</sup> <sup>62</sup> nunc prodierunt: fumant, crepitant, manus adurunt... —Quid hic statis, pueri et puellae, hiantibus oribus? Habeo vobis gratissima: avellanas, amygdalas, nuces juglandes <sup>63</sup>, nucleos pineos <sup>64</sup>, Eligite, belluli: en vobis aliquid mellis, dactylos optimos, caricas <sup>65</sup>, pira hibernalia, haec pira saccharo condita <sup>66</sup>, poma quae vos sancta <sup>67</sup> vocatis, coccosque <sup>68</sup>! Sed et vobis profero pulchralia <sup>69</sup>, bellariola <sup>70</sup>, dulciola <sup>71</sup>, laterculos <sup>72</sup>, lagana tubulata <sup>73</sup> hoc temporis puncto e sartagine elata. Nonne haec vobis stomachum excitant?”.

Et haec dum fortasse gustatis, sancta perfusi laetitia Natalicia Domini exspectate atque imo animi gaudio apud parentes agite!



## VOCABULORUM INDEX

1. turdus, i	tordo
2. carduelis, is f.	cardelina, jilguero
3. canaria, ae	canario
4. zea, ae	maíz
5. rapum, i	nabo
6. raphanus, i	rábano
7. vicia, ae	arveja, veza
8. rustica, ae	campesina
9. salsugo, inis, f.	salmuera
10. trapetum, i	trujal, molino de aceite
11. vinetum, i	viñedo, viña
12. clavicula, ae	zarcillo, tijereta
13. merenda, ae	merienda
antecenium, ii	
14. lanx fructuaria	frutera
15. tragema, atis n.	pastre
16. torcular, aris n.	lagar
17. prelum, i	prensa
18. vinacea, orum n. pl.	orujo
vinaceum, i	
vinaceus, i	
19. vinum circumcidaneum	vinaza, vino prensado segunda vez
20. cupa, ae	cuba, bota
21. dolium, ii	tinaja
22. cadus, i	barril
23. uter, utris m.	odre, pellejo
24. campanicum, i	champaña
25. alcohol, olis m.	alcohol
26. spiritus vini	espíritu de vino
26. aqua ardens	aguardiente
27. anisatum, i	anís
28. coniacum, i	coñac
conacum, i	
29. canneus, i	ron
rhomium, ii	
30. festum populare	fiesta mayor
festum majus	
31. nanus, i	enano
32. capito, onis m.	cabezudo
33. globus aërius	globo
34. columba internuntia	paloma mensajera
columbus remeans	
35. equi circumforanei	caballitos
36. currus incursans	coche-tope, auto-choque
currus concursans	
37. arietare	chocar
38. viri circenses	cómicos ambulantes (que llevan un circo)
39. petaurista, ae m.	equilibrista

40. familia scaenica	<i>banda de comediantes</i>
41. missilia pyria (n. pl.)	<i>fuegos artificiales, pirotécnicos</i>
42. tonitrua, orum (n. pl.) tonitrus, us m.	<i>traca</i> <i>estampido, trueno</i>
43. crepitans, antis	<i>roncador (cohete)</i>
44. displodere	<i>disparar, reventar</i>
45. volans, antis	<i>volador (cohete)</i>
46. cauda ignita	<i>cola (cohete en cola)</i>
47. stella crinita	<i>estrella con cabellera</i>
48. stella cincinnata	<i>estrella ensortijada</i>
49. stellarum pluvia	<i>lluvia de estrellas</i>
50. serpentina, ae	<i>culebrilla</i>
51. turbo, inis m.	<i>torbellino</i>
52. rota ignivoma	<i>rueda</i>
53. cursus birotarum	<i>carrera ciclista</i>
54. pediludium, ii	<i>fútbol, balompié</i>
55. taeniludium, ii taenisia, ae	<i>tenis</i>
56. principatus, us m.	<i>campeonato</i>
57. tauromachia, ae taurorum agitatio	<i>corrida de toros</i>
58. glans, ndis f.	<i>bala, balín</i>
59. globulus, i	<i>perdigón</i>
60. emittere in discum emittere in columbas	<i>tirar al plato</i> <i>tirar al pichón</i> <i>[tiro de pichón]</i>
61. propola circumforaneus	<i>vendedor ambulante</i>
62. machina torrefaciens tostarium, ii	<i>tostadora</i>
63. nux juglans	<i>nuez</i>
64. nucleus pineus	<i>piñón</i>
65. carica, ae	<i>higo seco</i>
66. pirum saccharo conditum	<i>pera en almíbar</i>
67. pomum sanctum	<i>palo santo, caqui</i>
68. coccus, i	<i>coco</i>
69. pulchrale, is n.	<i>bombón</i>
70. bellariolum, i	<i>caramelo</i>
71. dulciolum, i	<i>confite</i>
72. laterculus, i	<i>carquiñoli</i>
73. laganum (tubulatum)	<i>churro</i>

JOSEPHUS M. MIR, C. M. F.

In Instituto Pontificio Latinitatis.

Via Sacro Cuore di María, 5

ROMAE (in Italia).

# ULTIMUS LAERTAE DIES

*Carmen in certamine poetico Hoeufftiano magna laude ornatum*

Vesper erat. Postquam Eumaeus, qui tactus amore  
aegrum curabat dominum sua tempora ruri  
ultima degentem, parvam descendit ad urbem,  
solam Laertes casulam prope triste sedebat  
interdumque oculos, studio aerumnisque remorsus,  
ut si quid cuperet, vertebat ad aequora ponti.  
Usque canis languenti aderat fidissimus unus  
custos, qui vigili circum dicione tenere  
omnes consuerat terrens latratibus agros.  
Huc olim, cum jam numquam speraret Ulixem  
esse reversurum post Trojae incendia fusae,  
fessus et opperiens vergentis limina vitae,  
cesserat arboribus glaebisque ut traderet omnes  
agricolae curas; huc, spe dejectus inani  
esse iterum natum rediturum, ascenderat, aegri  
ingentes animi angores si rura colendo  
falleret et lacrimis medicinam ferret amaris.  
Cum lux prima poli surgebat limite clari  
et tota alituum concentibus aura sonabat,  
indigna ex casula stipulis et arundine texta,  
siccis fartum herbis linquens durumque grabatum,  
egrediebatur campo fruiturus aperto.  
Mos erat hic illic pedetemptim errare, pruinis  
gramina cum variis prima sub luce niterent  
et biberent reducis crescentia lumina solis,  
ut modo funiculo nodoso ad laeta ligaret  
pabula edenda capram, manibus modo stringeret herbas  
illi apponendas, sapiens modo ab arbore ramos  
caederet arentes ictu morsuque securis  
aut, exustus ager maturo sale jaceret,  
duceret e labris fluvium rivosque sequentes  
queis olera egelidis lymphis recreata vigerent.  
Quin saepes, cingebatur qua vinea culta,  
in vetitum ausa esset protendere acuta ruborum  
bracchia, Laertes ni falce accurreret illam  
in sua mox cogens excedere regna pudicam.  
Vinea laeta tamen Laertae maxima cura  
exstiterat. Longo frondebant ordine vites  
isque aderat nunc capreolis sarmenta ligare  
promptus, nunc uvis turgentibus addere vires  
luxuriam arcendo foliorum hinc inde malignam.  
Gaudia quanta, suis sollers cum viribus ipse  
tramite silvestri puero comitatus Ulixe

iret et ille patre ex caro conquireret ore  
nomina iucundo herbarum, gustaret et uvas,  
et proprias peteret praedulcia munera vites  
atque pirus ficusque simul malosque feraces!...

Multa recordanti Laertae temporis acti  
subrepunt, dum vesper adest, dum maesta diei  
hora subit, pontum immotis dum spectat ocellis  
et desiderio iam dudum absentis Ulixis  
captus multa gemit subitoque algore tremiscit.  
Haud procul inde pirus. Defensus crura caprino  
vellere eam quondam purgabat vepribus hirtis  
cum quidam haud notus (Trojam cecidisse superbam  
rumor ab extrema tandem pervenerat ora  
ductoresque omnes dulces petiisse Penates  
necdum de nato quicquam illi certius ulla  
vox tulerat cupido) lentusque accessit eodem.  
Non ruit in patris complexum atque oscula, verum  
constitit atque pirum purgantem crevit eumque  
multis tentavit fictis cautusque rogavit  
qui locus ille foret, quem vultu oculisque dolorem  
proderet: esse agros domini sapientis, olivas  
qui sanctas coleret, vites ficusque pirusque  
nec sineret spinas in cultis gliscere acutas;  
cur sese horrentem squalore ostenderet ipse?  
Esse aliquid pectus quo magno angore doleret...  
At non ficta diu potuit conectere seque  
a diro Trojae excidio longisque reversum  
per maria ac terras erroribus infit Ulixem  
esse, patremque senem tenuit complexus et haesit.

Talia Laertes volvebat pectore secum  
cum tandem Eumaeus pastor successit ab urbe:  
«Penelopa haec patri sibi cocta cibaria misit  
teque orabat uti te sustentare studeres.  
Non modo enim quadras; ovorum non nihil ampla  
in cista posuit, tum pernae frusta nucisque;  
plena lagoena merum, pater, haec tibi praestat aventi,  
quo irriguus possis alto te credere somno.  
Euge, pater; iam cuncta tibi sunt prompta, canisque,  
qui officium vigilans custodis praebet et artem,  
—nonne vides?—, spectat si prostet cenula: sese  
tradita quae fuerint sibi munera nosse; fuisse  
agrorum firmum custodem seque futurum  
tempore non nullo. Videamus an impiger exstet  
atque sua semper salendi polleat arte  
jejuni ut possit rabidos compescere ventris  
latratus». Canis imposuit tum naribus atris  
panis fragmentum; numeros dein dicere coepit  
ac manuum hos crepitu comitari. Sedulus ille  
stabat; vix decimum numerum pastoris in ore

audiit, hic subito motu conjecit in altum  
 naribus a madidis panem subitoque cadentem  
 faucibus expansis rapuit raptumque voravit,  
 praebuit et rursus se artis documenta daturum.  
 Laertes catulum tacitus conspexit et aequor  
 in subjectum oculos lentos convertit anhelus.  
 «Eja, pater» (tunc Eumaeus sic fatus), «edamus  
 nos quoque quae tua sancta nurus commisit edenda,  
 tantus cum nobis adsit conviva». Senex tum  
 haec tenuis sonitu vocis respondit: «Edas tu  
 nunc, Eumaeae; mihi non cordi haec; nam negat ista  
 sumere velle meus venter». «Quid? Non bene tute?  
 Numquid febricitas?» — «Minime me febris adurit;  
 jamdudum vero tacito mihi perstat imago  
 absentis nati, quem numquam, Eumaeae, videbo».  
 «Non ita; spem numquam abicias; haec sancta dearum  
 pectora semper alat; mortalibus ultima semper  
 vanescit; necopinanti tibi forte redibit  
 ille iterum rursusque tuis sol aedibus atque  
 Telemacho nuruique piaae fulgebit Ulixes.  
 Sume cibos, hauri cyathum et, sis, mitte timores».  
 «Frustra spem revocas; numquam revehetur Ulixes,  
 lumina nec condet, pietas quae extrema, parentis,  
 cesserit aetati cum mox ruiturus ad imos.  
 Ejus quis mentem avertit? Quae saga venenis  
 viscera perfudit vastas ut vellet adire  
 terras ignotosque locos pelagique severa  
 spernere, saeva undas tentare colentia monstra  
 Oceani inque illis furias Mortemque latentem?  
 Heu te felicem, proles, Eumaeae, juventa  
 cui prope cana agris suibusque intenta vigescat!  
 Nam contenta suis, quae protulit insula, pomis,  
 anxia numquam alio mentes et lumina vertit  
 nec scrutata polum est si navem solvere posset.  
 Post Trojam eversam saevique pericula belli,  
 illos post maris errores et inhospita terrae  
 exsilia is poterat sancta cum conjuge tandem  
 Telemachoque suo tranquillam degere vitam  
 in mensisque mero et digito bene castra docere  
 ac ruere hinc fortes, illinc facto agmine fortes  
 fortiter obstare et delapsos vertice caeli  
 velle deos alios aliis avertere fata  
 ac miscere dolos et vulnera ferre patique.  
 Haec poterat dixisse, suis factisque vigere  
 et regere hunc populum praeceptis legibus et vi.  
 Noluit. Interdum secum muttire diuque  
 litore arenoso mutus consistere, in aequor  
 vertere crebro oculos ullo sine fine remotum  
 atque ipsum solem mergentem semet in undas.  
 Haec illum vidi facientem saepe rogavique

ut mihi quid vellet secumque evolveret uni  
 panderet. At siluit. Quin immo noctis in umbra,  
 condere cum grato non posset membra sopore,  
 e duro sensim lecto surgebat et amplo  
 in xysto labris compressis solus et anceps  
 errabat trepidumque polum spectabat et astra  
 immensum taciti spatium peragrantia caeli,  
 maestaque ducebat suspiria pectore ab imo.  
 Uxor amans quotiens lacrimis quaesivit amaris  
 num rursus cuperet patriamque relinquere terram  
 seque ipsam uxorem, ardenti quae corde redire  
 illum optasset uti pueroque sibi que saluti  
 esset et insidias arcere minasque procorum  
 auderet stellaeque instar fulgeret amicae.  
 Amplexatus eam agebat se velle remoti  
 Oceani tentare vias, quas nullus adisset,  
 semper solis iter rapidi per aperta sequentem:  
 multa quidem vidisse, exstare latentia plura,  
 quae qui inspexisset, nullo mortalia fata  
 esse illum tactura aevo; se nomine clarum  
 esse reversurum... Haec audibat perdita conjunx  
 immemorem veluti narrantem, inde abdita cursim,  
 funderet ut lacrimas gemitusque, cubicla petebat.  
 Saepius haec illi meditantem insana frequentes  
 aures praebebant iuvenes ac verba bibentes  
 nescio qua cuncti vi incendebantur eumque  
 se quisque immensum comitari velle per orbem  
 terrarum agebat. Sociis ac nave paratis  
 solis ad occasum solverunt; clamor ad astra  
 ivit: eos longo sequimur maris alta petentes  
 obtutu, caeco dum evanuit aere navis.  
 Jamque dies mensesque abeunt. Quae terra, quod aequor  
 nunc habet? Esse rear quibus in regionibus illum?  
 Vivit? In ignotis ignotus finibus errat,  
 an miser occubuit neque erit mihi nuntius ullus?  
 Unde petam?... Haec memoris pertangunt pectora patris  
 nec quisquam aerumnas valeat depellere tantas».

Conticuit. Tum sol cubitum properavit abire  
 postremumque maris visus contingere limen  
 grandior. Unda procul fulgebat flumine secta  
 lucis et occiduo zephyrorum monime gemmis  
 luminibusque suis circum radiabat et auro.  
 Nubibus in roseis sol grandiscebatur in antris;  
 paulatim perrexit iter, sed in aequore tantum  
 ignis erat quantum intento cum fulmina caelo  
 in spissis tenebris rutilo splendore coruscant.  
 Sol cecidit; totum diffusa incendia caelum  
 pandebat; placido tamquam defessa veterno  
 culmina condebant colles; tum fumus ad auras  
 hinc illinc lentus casulis se extollere coepit.

Spectabat mare Laertes tantae immemor horae  
 ut si mente novas species sequeretur euntes,  
 quas procul immensum Oceanum peragrare videret.  
 Nonnumquam pastor iactabat frustula panis,  
 quae canis extemplo volitans comprehenderet ore,  
 dum sic ingentes domini immitesque dolores  
 his studuit verbis solari: «Nulla nitebat  
 spes, pater, at reducem tandem se ostendit Ulixes.  
 Haud equidem despero illum patriamque suosque  
 esse amplexurum caros; dolor omnis abibit  
 laetitiaeque suum dominum clamore popellus  
 accipiet laetum...»

«Quot luna, Eumaeae, labores,  
 ex quo nave abiit, passa est! Non ille redibit  
 a maris ac terrae caecis erroribus; ille,  
 quo nuper nitebatur mea tarda senecta,  
 haud rursus haerebit patriis complexibus umquam...  
 Quis mihi reddat eum? Referat quis denique certa  
 errantis? Vivitne? Patris qui nuntius illi  
 vita functi aderit?... Quam multa, Eumaeae, pericla  
 undique in Oceani aversis regionibus exstant!  
 Est stipula, Oceani si in vasto saeva procella  
 exorta est, navis. Quin ipse acerrimus heros,  
 ictibus horrendae qui clavae monstra subegit,  
 vix maris ad magni pervenit aperta, columnas  
 et laeva exegit dextraque in rupe, viator  
 ne quis, in immensum audacter ruiturus et atram  
 mortem, signatam auderet transcurrere metam.  
 Post illam quae ignota patent! Quis regna cadentis  
 umquam conspexit solis? Post concava caeli  
 quisnam finis erit? Quam multos ista sciendi  
 alliciet per aperta maris caelique voluptas,  
 quae subolem iubeat venturam rumpere rerum  
 vincula et hinc hominum veniant nova gaudia vitae!  
 Non haec insanam eicient e pectore febrim,  
 eque novis cupient majora capessere. Forsan  
 lintribus Oceani latebras perquiret et aere  
 clausu homo atque altum celeri transmittere caelum  
 remigio alarum fretus conabitur, ut si  
 humanae possint explere haec mentis anhelae  
 visa voluptatem, qua quis torquetur in imis  
 pectoribus numquam ut placeat considerare tandem.  
 Omnibus exemplum certum praebebit Ulixes,  
 quo nova per terras populi perque aera tentent  
 et clypeos duri in pugnam post vulnera sumant...  
 O ubi terrarum mihi natus oberrat? Habetne,  
 expleat unde famem devectus ad ultima terrae?  
 Huc quis eum revehet? Quis patri lumina condet?»  
 Haec fatus nigras oculos defixit in umbras  
 exspes et vana tactus re immobilis haesit.

Omnia nox gelido umbrarum velarat amictu  
 sensim. Summa quies volitans loca cuncta tenebat.  
 Implebat querulo ranunculus ore querellis  
 assidue primam noctem, dum sidera caelum  
 undique perfundunt tenui fulgore serenum.  
 Jampridem rex Laertes perstabat in una  
 defixus specie subito cum corpora motu  
 correptus laetusque simul clamavit: «Ulixes!  
 Filius immensa Oceani mihi navigat ipse.  
 Agnosco navem; plenis secat aequora velis.  
 En clamore fremunt socii montemque salutant,  
 exstat qui pelaga circum caligine tectus...  
 Heu, quid? Caligo rapido diffinditur igni;  
 Oceani magnus ventorum marmora torquet  
 impetus et vexat violento turbine navem.  
 Franguntur remi; velorum lintea pendent...  
 Fulgur ubique micat navemque effringit hiantem...  
 Heu fili! Abreptus mediis in fluctibus ut nunc  
 pendes!... Unda tibi defesso aperitur... Ulixes!» 1)

Talia dicentem Eumaeus conterritus imo  
 pectore spectabat quae captus inania mente  
 plurima Laertes per devia fingeret errans,  
 cum subito: »Periit!« Laertes dixit et axe  
 aethereo tamquam coniecto fulmine tactus,  
 concidit exanimis, corpus miserabile. Frustra  
 est conatus humo promptus relevare subulcus:  
 Laertes vita extemplo fugiente jacebat,  
 sed filii nomen sine fine errantis in alto  
 ac pereuntis item pronto sine fine remoto  
 ille videbatur gelidis iterare labellis.  
 Eumaeus vita subnixus robore functum  
 in casulam traxit, duro posuitque cubili,  
 nuntius ac tristis casus descendit ad urbem  
 Telemacho, nurui carae populoque futurus.  
 Tum canis, heu domini custos fidissimus unus,  
 errabat vigilans circum contermina rura  
 auxiliumque petens tacitos sub lumine lunae  
 implebat montes miseris latratibus usque,  
 quos ex umbrosis repetebat vallibus Echo.

PROF. DOTT. GIUSEPPE MORABITO  
 Via T. Cannizzaro, 206  
 MESSANAE (in Italia)

1) Quae Dantes Alagherius de Ulixis interitu in divina illa Comoedia conscribenda finxit in legentium mentes revocare supervacaneum esse puto, adeo sunt omnibus nota.



# VITA S. ANTONI M. CLARET SUMMIS LINEAMENTIS ADUMBRATA

Quos Spiritus Sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei (Act. XX, 28), ipsa vi consecrationis sibi collatae, necesse est in "statu perfectionis" ita conversari, ut pro se quisque non immerito usurpare possit illud Apostoli: imitatores mei estote, sicut et ego Christi (I Cor. XI, 21); tanta locupletari gratia eos oportuit, quorum esset munus Redemptoris opus perpetuare. Justo enim jure sunt episcopi Apostolorum succesores, nec minus quam Apostoli de Christi plenitudine omnes acceperunt, et gratiam pro gratia (Joann. I, 16); siquidem in Cenaculo una cum Apostolis de eodem calice Jesu Christi hiberunt, ejus postremis adloquiis una cum illis illustrati sunt et firmati, eadem dilectione aeternum de ejus Corde scatente sunt non exiguis haustibus recreati; denique, postquam resurrexerat a mortuis, unum atque idem acceperunt mandatum: Euntes docete omnes gentes (Matth. XXVIII, 19). Nam Jesus Christus heri, et hodie; ipse et in saecula (Hebr. VII, 8).

Sed aequum fuit illos non minus quam Apostolos, cum divinae Domini nostri potestatis esse participes, tum Passionis socios et consortes; non nisi hoc pacto unusquisque eorum, quod est meta ultima perfectionis, futurus erat alter Christus, ut, invicta constantia in laborum perpeccionibus, ceterorum fidem firmare posset labantem, mortuam in vitam revocare.

At tamen, quod hominum memoria non fuit umquam, hisce temporibus ita versantur sacri antistites saeviente fluctuum turbine, ut, si res esset in humanis viribus posita, nulla prorsus salutis spes enataret. Sed, quae infinita Dei benignitas est, ubi abundavit delictum, superabundavit gratia (Rom. V. 23). Atque, in primis, ignita Ecclesiae caritas, quam ita oculis vident operantem homines qui nunc sunt, qualem Corinthii ab Apostolo audiverunt mirabili praeconio celebratam. Etenim praecipuum Ecclesiae est vincere in bono malum (Rom. 12,21) omnia providendo, adflante Paraclito, pro temporum necessitatibus. Longum est ea recensere, quae, ad instauranda omnia in Christo, plurima exorta sunt proximis his temporibus, ignota transactis: ut Eucharisticos ex omnibus nationibus conventus, ut catholicorum studiorum univertates, ut seminaria pro consociatis dioecesibus in singulis regionibus instituta, ut sacram Missionum incrementa, ut restitutionem in pristinum cum liturgiae tum cantus Gregoriani. Sed duo potissimum memorare praestat, prompta et in expedito posita ad dimicandum in dies justis armis cum hostibus Ecclesiae: primum nempe librorum editiones, divulgationesque ephemeridum et de quavis re commentariorum, eo spectato consilio factas, ut scripta scriptis opponantur; pestiferae opiniones, mendacia, criminationes iniquae, vi veritatis refutentur; fraudes, insidiae, simulationes abreptis larvis detegantur; deinde, expeditas catholicorum copias e laicatu lectas, quae, aut castra tuentes, aut in impiorum catervas incursantes, suam dant operam pro Fide et Ecclesia, concordia auctoribus Episcopis actione.

Quarum rerum duarum primus decurso saeculo, idemque praestantissimus exstitit effector lumen illud episcopatus, ANTONIUS M. CLARET, anno Jubilaei maximi MDCCCXI in Sanctorum fastos relatus.

Quintus ex filiis quos Joannes Claret et Josephilla Clarà Rodoreta, ejus parentes, undecim susceperunt, Antonius M., natus Sallenti in Catalaunia d. XXIII mensis Decembris a. MDCCCXVII, inde a prima aetatula singulari fuit pietate erga Beatam Virginem, cujus in honorem fundaturus aliquando erat Congregationem Missionalium ab Immaculato Corde Mariae. Ejus pater, vir eximie probus atque piissimus, non minus industriae et laboris ponebat in textrina exercenda, quod unum prorsus erat familiae praesidium et fulcimentum, quam diligentiae in iis quae religionis essent, cum domi tum in officina. Itaque operarios deligere qui probatis essent moribus, sacro eucharistico mane cum filiis interesse, ter in die B. Virginem cum tota familia sacro Rosario precari; hanc lectionibus e vitis Sanctorum piisque adloquiis, post prandium et cenam in circuitu mensae suae, recreare; hanc diebus festis ad montanum ducere sacellum Virginis Mariae, oppidi Patronae: hujusmodi fuerunt pii parentis numquam intermissa munera. Atque Antonius, etiam parvulus, qua erat ingenii praecocitate, sic paterna adloquia accipiebat ut bonum semen terra bona; solebat enim, vix quinque annos natus, aeternitatis immobilitatem noctu contemplari, Deiparam perinde venerari ac praesentem, saepe cum aequalibus caelestia commentari, tamquam sacri missionalis ageret partes, senes singulari observantia prosequi, denique, ut pro puero, Christianae perfectioni diligentissime studere. Atque ocius venit tempus cum, positus in officina et celeriter arte texendi arrepta, socios laboris socios effecit orationis, jam suetus eo tempore jejuniis aspero cilicio et flagellis corpus affictare, jam pluries expertus caelestem Matrem sibi opitulantem, jam defixus in proposito sectandi Chartusianorum leges atque instituta.

Postea vero quam Barcinone artem texendi incredibili quadam peritia novisque inventis ita provexerat, ut officinarum possessores et optimus quisque opificum etiam atque etiam illum consulerent, magna moliri animo et machinari coepit; et jam antiquum frigescebat propositum, jam plures machinas, ut ipse ait, videbat mente quam oculis imagines Sanctorum, jam magnis inceptis felici ausu operam dabat, eum repente, postquam olim se viderat magno recurrente fluctu correptum et divinitus in oram relatum siccis ut antea vestimentis, clare percepit advenisse tandem horam derelinquendi omnia, ut sine mora famulus fieret Christi Domini nostri. Nec minus fuit id temporis forti animo pater; etenim, spe necopinato dejectus mox videndi filium claro nomine magnisque fortunis auctum, non timuit ejus consilium probare, id unum deprecans ut, suscepto aliquando sacerdotali munere, potius vellet medio in populo servire Deo, quam in semoto coenobio. Profecto, non sine divino consilio Antonius diu cum operariis degerat atque gravissimus auctor fuerat et suasor, non modo augendae paternae textrinae, sed novis instituendis, ampliore instructis instrumentorum apparatu: tanti ei fuit in omni re industriam et laborem ponere, ut olim apostolatam ageret apud inopes et tenuiores, suamque operam navitate et constantia longe lateque propagaret.

Cum ideo, annum agens duodetricesimum, sacerdotium inivit, nullum fuit stadium, quod, Christi caritate urgente, sibi currendum non arbitraretur. Exinde, a primo diluculo ad multam noctem, predicare verbum, instare opportune importune, excipere sine lassitudine confessiones, puerulos apud se ha-

bere ut, cum primis elementis, doctrinam Christianam addicerent, valetudine laborantes visere, morientibus adsistere, occasione data siccare purulenta ulcera, rudiores adjuvare tutari recreare, aerumnosos et mendicos ope et solacio reficere atque non secus venerari quam propositam imaginem S. Benedicti Josephi Labre; denique non tempori, non labori parcere, ut omnibus omnia fieret. Atque ita se gerebat, cum non satis firma esset valetudine, cum saepe sanguinem expueret, cum suetus esset vix horas noctis tres concedere quieti, ceteras Scripturis meditandis et prolixis precibus transigere.

Cum Antonius de rebus divinis diceret, ex ignita caritate ignitum fluebat eloquium; nec sacras orationes habere poterat quin templum multitudine stiparetur, nec tam magni fiebant concursus, quin semel atque iterum morum emendationes, inopinatae ad religionem conversiones, sanationes insperatae sequerentur. Itaque ejus fama sanctitudinis pervulgabatur in dies; erat videre, cum civitatulas regionis adiret de re sacra concionaturus, multa hominum milia longo itineris spatio ei occurrere pedibus adveniendi, comitari eodem modo abeuntem. Civitas Sallentina gaudio et laetitia exsilliebat quod tam magnum genuisset filium; ac videbatur alacriore gradu ire opera in textrinis: volantes radii, pulsi pectines, sonantes scapi, rotantia insubula canebant ad numerum suum artificem principem, jam nunc texere doctum auro et bysso inconsutile Jesu et Mariae vestimentum.

Sed Sallentinus ad majora vocabatur a Deo, procul a patria. Antonius enim erat perfecti missionalis imago, ut, si voluisset, quocumque iret, illud Apostoli sibi posset usurpare: Ego autem libentissime impendam, et superimpendar ipse pro animabus vestris (II, Cor. 12,15); haec ejus praecipua fuit gloria, sive cum exstitit apostolus Catalauniae et earum insularum quas fabulosa antiquitas falso praedicavit Fortunatas; sive cum, sacris infulis invitus et nolens honestatus et ad Cubanos Archiepiscopus missus, summa ope contendit ut in omnibus Christus regnaret; sive cum, in amplissimo loco positus apud Hispanorum reginam, id unum studuit, ut liberiores aulae regiae mores omnino emendarentur; sive cum, praepositus restaurando miraculo illi sumptuosae magnitudinis a Philippo II rege exstructum, quod Hispani conclamant primum et unum post celebratissima septem orbis terrarum, ita seminarium dudum desertum renovavit, ut universitas quaedam fieret catholicorum studiorum, apta ad recipiendam humanam consortionem, paene perditam impiis philosophorum doctrinis. In eo consertae contextaeque erant natura hominis et Sancti Spiritus gratia; nec quicquam detrimenti patiebatur vel diuturna divinarum rerum contemplatio vel adsidua exercitatio virtutum, propterea quod vir esset Antonius semper aliquid agens ac moliens, semperque strenuus et fortis adversus potentes. Etenim virtutes illas, quae propriae perhibentur umbratilis vitae contemplationi caelestium rerum deditae, nempe humilitatem, paupertatem, mansuetudinem, modestiam, voluntarias corporis afflictationes, sibi persuasissimum habebat necessariam esse sarcinam missionalium, quippe quibus semper esset in primo agmine procedendum; ideoque maximo semper opere contendit in iis excellere. Quin etiam nonnulla de ejus paupertate et mansuetudine narrantur, quae decerpta de Flosculis Asisiatis videantur; ut olim, illapsus inter latrones tres, et pollicitus se ad eos rediturum si sivissent

sacrum praeconium se habere, in proximo oppido ubi expectaretur, potestate sibi abeundi facta, juxta promissum reversus est, id quod tantae admirationi latronibus fuit, ut ilico apud eum criminum confessione se abluerent. Solebat, non secus ac beatus Franciscus, regiones peragrare sine pera, sine sacco, eadem tunica hieme et aestate indutus, nihil secum ferens nisi mappulam, qua subuculum mutatorium, par tibialium, sudariola aliquot continebantur et sacrorum sermorum commentarii; de nutrimento quid sollicitus esset, cum Pater caelestis etiam volatilia pasceret? Et olim, voluntarium mendicum, esurientem et longo itinere lassum, mendicus refecit faseolorum catino in cauponula viatoria.

Sed quis agnosceret perpetuum illum itinerantem, cum ad restauranda in Christo hominum societatem summa contentione dimicaret, et caritate Christi inflammatus inopinatissima quaeque pro sui et proximorum temporum necessitatibus provideret? In omnibus fere Hispaniae civitatibus, maximeque Barcinone et Matriti, vox Antoni vox fuit perpetuo clamantis; idque fecit etiam posthabito, donec potuit, amplissimo loco quem in aula regia obtinebat, nulla unquam occasione amissa, sive oportuit spiritualibus exercitationibus et meditationibus, non modo sacerdotum conventus, sed cultioris etiam laicatus, in religione atque pietate firmare; sive Sanctorum praeconia habere, sive praedicare quadragenario tempore Christum passum, et mense Majo Virginem Immaculatam; sive sacris expeditionibus civitates oppida rura cum primis missionalibus Congregationis lustrare, quam ipse fundaverat supernis impulsionibus actus.

Attamen id operis et laboris satis non esse vir Dei arbitrabatur, cum undique grassarentur perniciosissimae philosophorum doctrinae, crebrae pestiferorum librorum et ephemeridum pervulgationes, inconsulti popularium partium ausus, reipublicae moderatorum injuria. Tum maxime eluxit singularis ejus vis atque virtus; nam, modo ex productis noctu precibus et lucubrationibus, modo etiam exemplo cum e suggestu sacras orationes ad populum haberet, copiose scatebant cogitationes inventionesque novarum rerum, quae Christi gregi praesidio et munimento essent gregisque pastoribus opportuno auxilio, quo industrius et alacrius sua quisque saepta custodiret atque tutaretur. Quo in genere digna in primis memoratu est prelorum opera, non minus concitata quam olim opera fuerat sonantium textrarum; sine enim intermissione edebantur libri et libelli cuius lectorum generi apti atque accomodati, crebrique rei religiosae indices; ac, quod prorsus incredibile est, ad quadragies centena milia prodierunt ex officina libraria, duodeviginti annorum spatio, pagulae solutae et tabulae ad Christianam doctrinam docendam, imaginibus ornatae atque explanatae, quae gratuito pervulgabantur sacrarum missionum tempore. Huic operi totum se dederat Antonius, sive scriptis conficiendis, siquidem, cum esset Cubae, sex annis, dono dedit ducenta voluminum milia. Atque alia multa vidit insula Cuba egregie sui apostoli facta; memorare satis est sodalicia largitionibus ostiatim deferendis, domos excipiendis pueris derelictis, bibliothecas pro indoctis, ludos variis artibus exercendis, mensas provehendae parsimoniae, denique laicorum consociationes rei catholicae tuendae,

quod munus postea, Summorum Pontificum hortatu, alacres juvenum cohortes susceperunt.

Sed ANTONIUS M. CLARET in sinu gestavit sacerdotes, id unum effusis precibus ab Immaculato Corde Beatae Virginis petens, ut pares essent temporum necessitatibus. Quae multa in hoc genere mente provida curavit, non modo beatissimi Pii Pp. X magnum opus praenuntiant, sed prorsus jactis inchoant fundamentis. Longum est omnia recensere; liceat saltem cursim memorare Catechismum in partes tres discriptum, quem tanta diligentia explanavit ut in omnes fere Hispaniae dioeceses acciperetur, instauratum liturgiae decorem, modos Gregorianos primum revocatos et late propagatos, puerorum cantorum scholas institutas; denique omnino renovatum et bibliothecis auctum ingens aedificium Escorialense, hominum nequitia vastatum et expoliatum, ibique magnum seminarium creatum, quod tamquam gymnasium pietatis et doctrinae exstitit et ceterorum exemplar.

Perobscura quidem quaestio est cur unius hominis virtute longe lateque in patria et in coloniis vita Christiana refloresceret, nisi virtute Fidei perpensum sit quid possit amoris ignis a Christo eucharistico accensus, quidve sit "accepisse in sua" Immaculatum Cor Beatae Virginis. Nam quidquid oportuit aut agere aut providere aut scriptis tractare, exsomnia apostolus Magistram habuit Immaculatam, quotiescumque fuit necesse superbis resistere, ignita Christi caritas vires suppeditavit.

Sed merces apostolorum est pro Christi nomine contumelias, persecutiones, martyriumque pati.

ANTONIUS M. CLARET, septies petitus armis et divinitus servatus, octavum longo vulnere a facie ad brachium novacula incisus, calumniis lacertatus, persecutionibus vexatus, extremos annos egit exsul a patria. Denique, postea quam in Concilio Vaticano quantum supererat virium ita impenderat acerrime pro dogmate propugnando de Infallibilitate Summi Pontificis, ut ominum Patrum oculos in se converteret, vix tribus interjectis mensibus, in monasterio Fontis Frigidae spiritum efflavit, die XXIV mensis Octobris, a. MDCCCLXX, annos natus sexaginta tres. Postrema ejus fuerunt verba: Cupio dissolvi et esse cum Christo: peropportuna sane, ut cum maxime, haec novissima verba strenui Ecclesiae propugnatoris, qui, ut Apostolus, stigmata Jesu Christi in corpore suo portabat. Mortuus est procul a suis, profugus et absconditus, dum eum quaerebant insectatores ut post se traherent; sed Congregatio ab Immaculato Corde Virginis Mariae jam tabernacula tendebat a mari ad mare.

MONS. LUIGI GUERCIO

Via dei Principati, Trav. Capone

SALERNI (in Italia)

# ALEXANDER MAGNUS

Vitam Alexandri mihi descripturo ea adhibenda est cautio, ut nec multitudo rerum dicendarum brevitati nec brevitatis perspicuitati officiat. Meteori instar Alexander per decennium orbem terrarum collustravit et meteori instar subito fulgere desiit. Sed quae effecit, mutationem paene maximam totius historiae, Hellenismum, morte ejus non periit. Natus Pellae in Macedonia anno CCCLVI a. Chr. n. a patre Philippo summam intellegendi vim et fortitudinem indefessam, a matre Olympia spiritum magnum et animum iracundum acceperat. Praeclarissimis instructus facultatibus vel puer Iliade multum oblectabatur et decem annos natus coram legatis Graecis, inter quos Demosthenes et Aeschines, alicujus tragoediae partem memoria recitavit. Nec sinistro fortunae beneficio accidit, triennio post per octo annos Aristotele doctissimo uteretur magistro. Quaere mihi in universa historia talem magistrum et talem alumnum. Cujus ingenium Aristoteles mature perspexit et vitiis emendare studuit. Sed id unum probro vertendum, quod honoris cupiditatem non satis coercerat. Memento igitur iterum tanti magistri et tanti discipuli. Alter sibi orbem terrarum subiecit, alter mentis acumine novam scientiis orbem detexit. Uterque veluti in novo exoriturae aetatis atrio stabat. A magistro heros noster a periculis vitae aulicae blanditiis servatus pudicitiae exemplum evasit et blandam a parentibus immissam meretricem rubore suffusus ejecit. Aristotelem magnopere colebat et pluris patre aestimabat, huic animi, illi corporis vitam acceptam referre dicebat. Intima talis magistri conjunctione eam ingenii magnitudinem est adeptus, qua omnes antiquitatis exploratores longe vincat et superet. Inde quoque, qua tantopere excellebat, rerum vel complicatarum perspicientia. Inde omnis mentis vilis et abjectae taedium et honestatis studium, quo in tota paene vita florebat. Nec suam cum magistro necessitudinem, cum in Asia bellabat, intermisit nec litterarum studia augere desiit. Quin etiam dialecticis disputationibus multum delectabatur. Unde nec mirum videtur, quod mille fere viris Graecis, qui vel in venatione, aucipio, piscatu versabantur vel armenta, vivaria, aviaria custodiebant, mandavit, ut, quaecumque scitu notatuque digna animadvertissent, ea cum Aristotele communicarent. Qui suum de historia naturali librum perficere vix potuisset nisi favente et adjuvante discipulo. Immo rebus metaphysicis vacare consuevit. Tradunt enim veteres eum, cum Aristoteles Metaphysicam foras edidisset, ei probro vertisse, quod ea, quorum ipsi soli notitiam habuissent, divulgasset.

Jam alio properat oratio nostra. Philippus Macedonum rex multis bellis prospere gestis et patria e tenebris in lucem educta spectatum sibi exercitum paraverat. Sed fame terminos longius proferendi nondum sedata, Persas Grae-

cis semper infestos devincere studebat. Dum summum parat belli apparatus, in ipso theatri limine, quo se candida indutus veste contulerat, a Pausania viro nobili gladio confossus occubuit. Extemplo Alexander a cohortis praetoriae decurione rex est salutatus. Quod pater faciendum sibi proposuerat, id filius efficiendum aggressus. Jam ut ejus in Asiam expeditio melius intellegatur, pauca sunt praemittenda. Graecos, postquam praeclarissimas animi dotes temporum decursu explicuere et, ut ita dicam, exhaustere, aut de scaena historica decedere oportebat aut peculiari fortunae beneficio reviviscere. Posterius Alexandri expeditionibus contigisse videmus. Hellenismum enim per Orientem late propagavit et per saecula subinde perpetuavit. Hellenismus ea intellegitur animi cultura, qua antiquiora Graecorum elementa: cultus Deorum ac mysteria novis iisque Orientalibus et, quod est summi momenti, ipso Judaismo mixta fuere. Quapropter Alexandri expeditio non solum res militaris est dicenda, sed expeditio sive exploratio scientifica. Namque spectatam rerum scriptorum coronam, naturae inquisitorum, astronomorum et artificum secum ducebat. Atque per ipsum factum est, ut et Graecia et Asia nova fuerint secuta vestigia. Tanto operi perficiendo amplissimas dotes afferebat: ingenium militare maxime egregium, mentem perspicacem, animum ad res ordinandas peraptum, vim non solum acriter cogitandi, sed et cogitata exsequendi. Quamvis pugnandi consilia ratione sollerti et ingeniosa capere consuesset, tamen mutatae temporum locorumque conditioni sapienter accommodabat. Epaminondas obliquae aciei auctor, phalangis vero Philippus. Sed utramque Alexander ingeniose excoluit. Praeterea signa Asiae illaturus eo praecipue agebatur, ut poenas a Persis Graeciae infestissimis tandem expeteret. Hac re facile fore, ut omnes ab ipso starent. Nec spes fefellit. Nam omnes eum ducem a tota Graecia electum habebant, qui id esset persecuturus, quod Graeci omnes inde a clade apud Thermopylas accepta vehementer desiderant.

Jam in scaenam inducitur gloriosa illa in Asiam expeditio, quae famam Alexandri perpetuavit ipsumque omnibus elegantibus tam carum reddidit. Subsistens ad Achillis sepulchrum sacrificavit eumque beatum praedicavit, qui vivus amicum fidelem et mortuus Homerum gestorum praeconem invenisset. Carmina ejus secum habebat et Achillem imitari studebat. Apud Granicum flumen anno CCCXXXIV primus cum Persis congressus. Primus omnium Alexander cum equitatu flumen transgressus regis Darii generum, deinde Rhosakam lancea transfixit. Jam Persa quidam acinacem ad eum sternendum levarat, cum Klitus adorientis brachium amputavit et Alexandrum a morte servavit. Fuga effusa Persae pedem retulere. Interim Darius summo coacto exercitu —sescenta milia— ipse se victori opponere constituit. Sed tanta copiarum multitudo ob loci angustias victoriae obfuit. Darius disjecto ab Alexandro medio exercitu essedo profugit atque hac ignavia fugae signum dedit. Praeda vix aestimanda. Mater Darii, uxor, duae filiae et ipse filiulus capti.

Nobilissimus victor mulieres consolatus regem, quem caesum plangebant, a morte servatum certiores fecit.

Hac apud Issum victoria illam Persas vinci non posse fidem ubique labefactavit, omnium admirationem acquisivit et omnibus terrorem incussit. Jam tota Aegyptus jugi Persici impatiens patebat Aegyptiique ovantes vitori obviam ierunt. Ipse Apis Dei templum ingressus “Tauro sacro” immolavit et Aegyptii vicissim ei Regum antiquorum honores detulerunt et filium “Solis” appellarunt. Prope oram maritimam loco opportuno urbem condi curavit, quae posthac ab ejus nomine Alexandria nominata centrum floridum mercaturae et litterarum, seminarium tot virorum doctissimorum evasit. Ex eo tempore heros noster se divinae originis esse credere coepit. Qui eum spiritus subinde ad scelera nefaria, quae ingenio ejus notam inureret et famam obscuraret est abreptus.

Darius, qui fuga se a captivitate servarat, collecto innumero exercitu in planitie prope Gaugamelam Alexandrum opperiebatur. Qui, cum ei Parmenio, dux illustrissimus, suasisset, ut nocte hostes multo superiores inopinato opprimeret, respondit: “Nolo victoriam furari”. Pugnandi vero ratio vere ingeniosa. Alae sinistrae Parmenio, ipse dextrae praefuit. Hujus alae subsidiis id erat imperatum, ut impedirent, ne ipsa ala a Persis circumveniretur. Quod ubi Darius animadvertit, sinistrum sui exercitus cornu extendit et ita aciem primam extenuavit. Vix id Alexander conspicatus in hunc irruit locum et perditatum hostilem a latere adortus perturbavit. Nec tamen res Persis fuisset perdita, —cornu sinistro Macedonum aegerrime locum tenente— nisi Darius ut in ea apud Issum pugna ignavus fugisset suaque fuga exercitum secum abripuisset. “Mortem effugit, quisquis contempserit illam, timidissimum quemque consequitur.”

Hac insigni apud Arbelam pugna Alexander totius Asiae dominus factus ex ipsa pugna Babylonem contendit ibique triginta dies mansit. Inde in ipsam Persidem profectus Persepolim, sedem Persarum regiam, thesaurum regum — CXX milia talentorum— cepit. Occurrerant ei octingenti Graeci crudeliter mutilati. Quorum aspectu tanta excanduit ira, ut nequiquam renitente Parmenione regum Persarum monumenta, aedificia pulcherrima ipsamque urbem diruerit. Ipsae ruinae vel nostra aetate vesaniam victoris monent. Jam ineunte vere anni CCCXXX Alexander ad persequendum Dariam Ecbatanam contendit, quam rex infelix vitae servandae causa ultro reliquerat. Hic victor comperit regem a Besso satrape majestate privatum et abductum esse. Quare illico profectus propius accessit ad conjuratos. Qui, ut Alexandrum approquinquantem animadverterunt, regem tantopere afflictatum secum profugere jusserunt ac renitente telo vulnerato fuga salutem petierunt. Jacebat igitur, Asiae dominus, omni ope destitutus, sanguine oppletus. Incidit in moribundum miles quidam Macedo ejusque sitim aqua sedavit. Jamjam moriturus militem rogat, ut victori gratias agat, quod se erga matrem et uxorem olim se tam nobilem



praebuerit. Alexander allatus tantaque miseria commotus mortuum deflet, sua involvit chlamyde et pompa magna in sepulchris regis condit.

Quemadmodum qui jugis praeruptis graditur, facile vertigine capi solet, ita mores illius, quem fortuna in tanto fastigio collocat, sensim depravari consuerunt. Alexander, animo benigno et aperto, periculis, quae optimo viro imminent, diu resistebat. Parcum virum in edendo et bibendo ab officiis nec somnus nec ludus nec vinum cohibebant. Postea vires nimium occupationibus exhaustas vino recreare solebat, sed moderate et cum sociis confabulandi causa. Paulatim autem plus solito bibere coepit. Hic iniiit viam, qua ad facinora deploranda fuit abreptus. Nam Philotas, Parmenionis praeclarissimi ducis filius, conjurationem in Alexandri vitam sciebat nec aperuerat. Ideo supplicio fuit interfectus. Alexander veritus ne Parmenio Ecbatanae praefectus regis, ulcisceretur, ad eum litteras dedit. Quas dum ille inopinatus legit, per insidias est trucidatus. Quo more Orientali effectum est, ut, quos apud se habebat, ii eum magis timerent atque adularentur.

Jam Bactria occupata Oxum flumen et Jaxartem transgressus Alexander Marakandiam (Samarkand) sibi subjecit. Aliquando cum centuriones majores vino graves eum herœa praedicassent, ipse non modo non annuit, sed patris Philippi gestis detrectavit. Surgit Klitus familiarissimus, insolentiam adulatorum castigat, et, quae Alexander feliciter gesserit, ea magnam partem Macedonibus acceptam referenda oportere ingerit. Philippum servasse Macedoniam, Parmenionem vero de expeditione optime meritum subdole esse jugulatum. "Haec mea", ait, "manus te, Alexander, apud Granicum flumen a nece servavit". Quibus excandescens rex pugionem arripit, in Klitum irruit, sed ab amicis retinetur. Sed eum imprudenter carmen derisorium in regem cantantem hic inflammatus ira erepta custodiae lancea: "Apage in Philippum et Parmenionem" exclamans transverberat. Jam viso amico fideli mortuo summa ductus poenitentia ipse se eadem lancea transfigere vult, quippe qui interfecto amico amplius honeste vivere non possit. Tres dies ac noctes spreto cibo insomnes duxit, Klitum deflens ejusque nomen iterum iterumque repetens. Caedes abominanda regis animum obscuravit et poenitentia arrosit. Quare novis suscipiendis expeditionibus dolorem summum lenire studebat.

Anno CCCXXVII in Indiam longinquam ac fabulosam, qua tot exploratores alliciebantur et quae tot tantisque thesauris abundare narrabatur, bipartito exercitu profectus anno post ad Indum flumen pervenit factoque ponte trajecit ac Porum regem ad se salutandum venire jussit. Se cum armis venturum respondit et cum triginta peditum et quattuor equitum milibus, trecentis essedis falcibus exornatis et ducentis elephantis Alexandrum in altera fluminis peralti ripa exspectavit. Qui transmisso ingeniose flumine et edita pugna acerrima, Porum, cujus duo filio ceciderant, vulneratum cepit. Admiratus pulchritudinem virilem pariter ac fortitudinem ex eo quaesivit, quomodo tractari vellet. "Regie" inquit. Reddito regno et amplificato regaliter est tractatus.

Quo altius quis per omnes fortunae gradus ascendit, eo acriore rerum novarum gerendarum siti vexari solet. Alexander tot partis victoriis nondum contentus ad Indi fluminis ora et in mare magnum Orientale navigare statuit. Quodsi fecisset, Africam circumvecturus et per Libyam rediturus. Cui copiae fideles vehementer restiterunt nec minis ullis flecti potuerunt. Redire igitur in Persidem placuit. Quo in reditu rex praeclarissimum fortitudinis et temeritatis specimen dedit. Cum Multan urbem oppugnaret, primus omnium, ut solebat, arreptis scalis sub telorum imbre murum ascendit. Sed diffractis pondere subsequentium scalis solus in muro stabat. Clamantibus licet suis, ut desiliret, audacissimus in urbem desiluit et a tergo ipso muro protectus vulnera et mortes sparsit. Jam urgentibus undique hostibus sagitta laesus et manante ex vulnere sanguine viribus defectus procubuit, cum Peucestes et Leonnatus, qui muro consensu desiluerant, eum a certa morte servarunt. Cum summo gaudio milites eum jam perditum arbitrati exceperunt. Ubi praeter omnem expectationem convaluit, Craterum ducem in Carmaniam ad sinum Persicum, Nearchum vero cum classe ab Indo flumine ad Tigridis ostia navigare iussit. Ipse per Gedrosiae desertum longe patens rediit, inscius quantae calamitates ipsum essent mansurae. Ardebat desertum caloribus aestivis, nec fontes nec umbra ulla. Caedebantur diebus post profectionem cameli, saeviebat sitis vix ferenda, grassabantur morbi contagiosi. Solus animus fortis et alacer regis, qui una cum militibus omnes tolerabat labores, exercitum a dissolutione et interitu servabat. Quodam die cum milites aliquot tantam turbidae aquae vim in stagno invenissent, qua galeam aegre implerent, et ad regem attulissent, hic avidos circa se obtutus conspicatus, aquam humum profudit, quia non omnibus sufficeret nec ipse solus bibere vellet. Quo animo generoso milites erecti ipsi quoque aquae hujus partem bibisse sibi videbantur. Cum sola tertia copiarum parte in Carmaniam, quo Cloterus et Nearchus priores pervenerant, et ipse devenit.

Quae ante mente conceperat, jam exsequi statuit. Namque bene intellegebat regnum non permansurum, nisi gentes tot subjectae ipsi faverent. Solo nixus exercitu Graeco Asiam, si jugum esset excussura, se in condicione non posse tenere. Robur enim infractum horum populorum ac virtutem satis perspexerat. Eos igitur a centurionibus Graecis instruere, sibi conciliare et a seditione occupationibus arcere volebat. Quod si fecisset, Macedones jam non fore pernecessarios. Ergo in urbe Susa ipse Barsinem, Darii filiam conjugem duxit, octoginta ex ejus familiaribus nobiles Persas, decem Macedonum milia Asiaticas. Nuptiae vero summo luxu et pompa factae et nupturientes omnes a rege largissime exornati, reliqui milites magnis muneribus donati. Ipse rex vestes Persicas induit et caerimonias ritusque sequi coepit.

Magna sane et maxime ardua ex eo tempore Alexander animo volvebat. Classem mille navium aedificandam, Africam circumvehendam, totum Occidentem subjiciendum, Europaeos in Asia, Asiaticos vero in Europa collocan-

dos, omnes hos populos iisdem studiis conjungendos et in unum corpus redigendos. Quis unquam tale cepit consilium? Sed opus summum molituro pallida mors lente appropinquabat. Hephaestion familiarissimus feбри maligna abreptus Alexandrum summopere commovit. Ipse Babylone, quo legati ex dissitis gentibus salutatum venerant, feברי malaria corripitur. Frustra in hortis pendulis frigus captat, frustra defertur in Nebukadnezari arcem. Febris adeo crescit, omnes ut eum brevi decessurum arbitrentur. Milites consternati doloris significandi causa lectum aegrotantis praetergrediuntur. Agnoscit quidem singulos, sed infirmitate summa vocem intercludente nec ullum quidem verbum dicere potest. Pendet veluti a juvene pallido, cui mors signum impresserat, totus terrarum orbis. Mediis e consiliis et molitionibus die 11 Junii CCCXXIII anno trigesimo tertio nondum expleto exspiravit.

Meteori instar Alexander fulgere coepit et scaenam politicam lumine mirifico illustravit. Meteori instar subito extinctus est. Summam audaciam cum pari ratione et consilio, magnam sui confidentiam cum sobria temporum consideratione conjunxisse herois tanti maxime proprium erat. Nec tam florida juvenus aut audacia aut fortuna inaudita aut praeclarissimum ingenium ejus imaginem in omnium gentium mentibus impressit quam animi dotum oppositarum mira conjunctio. Ideo ipsi Persae, quamquam eorum in Asiam principatum sustulerat, eum providentiae divinae instrumentum habebant et unum ex iis esse dicebant. Ipsius fama in dies magis crescebat. Mentis acie, quam longe lateque intendere solebat, pugnandi alacritate fortitudine summa aevi equitibus et cantoribus prae ceteris heroibus carus et acceptus erat. Etsi quae sibi efficienda proposuerat, ad finem absolutionemque adducere non poterat, tamen Occidentem cum Oriente conjunxit et Hellenismum longe lateque propagavit. Quid enim aliud est ille Hellenismus nisi Occidens in Orientis amplexu?

N. MANGEOT, S. J.

44 Münster Hans Sentmaring

In Germania

# CALENDARIUM PERPETUUM MEMORITER UTENDUM

Calendarii sane perpetui, generatim, scopus est convenientiam inter diem mensis quaerere et diem hebdomadis pro certo mense alicujus anni propositi, ad hunc finem Tabellis quibusdam adhibitis, quae coordinatis numerorum vel litterarum lineis, problematis solutionem praebent. Hujusmodi tamen suppuctandi genus incommodis non semel, ut patet, obnoxium est. Saepe namque Tabellae istae in promptu haberi non poterunt; ut de aliis taceam difficultatibus. Quapropter aliam excogitavi viam seu rationem, quo facilius ac memoriter hoc negotium expediri possit.

Novum systema quod pnmotechnicum vocari potest, duobus nititur fulcris, ut ita dicam, scilicet *Numero-Clavi* pro quolibet anno, ac *Mensium signaculis*.

Numerus-Clavis esse potest quilibet numerus, mensis diem significans; et signaculum mensis est littera quaedam singulis mensibus assignata, quae respondet litterae initiali alicujus diei hebdomadis; ita tamen ut dies et Feria tali numero ac littera expressis, revera concordent in anno et mense propositis. Si enim anni Clavis sit 5, et signaculum mensis sit D, consequens est ut dies quinta talis mensis et anni sit dies Dominica.

1. — Nunc videamus primo quae sit littera seu signaculum uniuscujusque mensis.

Ordinatim positae juxta modum in Calendarii mensibus inventae, et aliis instructae litteris ad efformandam phrasim pnmotechnicam, legi possunt ut sequitur:

- «*Jam dudum cives loci summum jus domat*». Vel etiam:
- «*Judex dicat, velut Caesar, Majo domum*». Hispanice vero:
- «*Juan dedica (a) Velasco su mejor drama*». Catalaunice tandem:
- «*Jordi diu com veu la casa major del món*».

Facile colligitur ex dictis, si, exempli gratia, numerus-Clavis alicujus anni sit 3, mense Januario diem *tertiam* in Feria V venturam esse, mense Febuario in Dominica, mense Martio item, mense Septembri in Feria III. Mense autem Aprili et Julio notatur littera C, quae non est initialis alicujus diei hebdomadis. Sed hoc fit ut tollatur omnis dubitationis periculum. Nam pro Feria III usurpatur littera M, quae communis esset cum Feria IV. Ideoque pro Feria IV ponitur littera C (dies Mercurii).

2. — Nunc procedamus ad Numerum-Clavem pro singulis annis compendiendum.

In hujusmodi numeri inquisitione tres casus dari possunt, nempe: a) quod annus terminetur duobus numeris valore omnino destitutis ("*dos ceros*"); b)

quod finiatur duobus numeri *significativis* aequalibus; denique c) quod terminetur duobus numeris inaequalibus.

I. In primo casu valor numeri-Clavis idem est ac valor numeri totius anni, duobus ultimis numeris (2 *ceros*) non computatis. Ita, pro anno 300 est 3, pro anno 1000 est 10, pro anno 1500 est 15, et ita porro.

Nihilominus, ab anno correctionis Calendarii, scilicet 1582, quo decem supressis diebus, post diem 4 Octobris dies 15 sequebatur, valor numeri-Clavis semper est 5 pro omnibus annis centenariis qui *exacte* numerum 400 capiunt. Ita sunt anni 1600 et 2000. Pro annis centenariis intermediis valor N.C. augetur successive duabus unitatibus. Ita, annus 1700 valet 7, annus 1800 valet 9, et annus 1900 valet 11; et sic repetuntur singulis quaternis centuriis usque ad annum 4000 (si tamen Calendarium prout nunc viget adhuc exstiterit)'.<sup>1</sup>

II. In secundo casu, *numeri significativi aequales* distribui possunt in tres sectiones. Ad primam pertinent numeri: 11, 22, 33, 44; ad secundam sectionem pertinent numeri: 55, 66, 77, 88; ad tertiam pertinet numerus 99. Valor cuiusque numeri primae sectionis est 1; secundae sectionis est 2; et tertiae sectionis est 3. Hujusmodi valor, additus valori numeri-Clavis primi casus, constituit valorem numeri-Clavis hujus secundi casus. Ex. gr., numerus-Clavis anni 855 est  $8 + 2 = 10$ .

III. In tertio casu, videlicet, quando annus terminatur duobus numeris *inaequalibus*, valor numeri-Clavis habetur addendo valori *secundi casus*, differentiam quae intercedit annum inter propositum et annum superiorem, qui duobus numeris aequalibus terminatur. Meminisse juvat annos bissextiles duplici numero gaudere.

Variis exemplis illustrantur quae dicta sunt. Numerus-Clavis anni 200 est 2, quia pertinet ad primum casum et ideo omittuntur duo ultimi numeri (los *ceros*).

N. c. anni 1900 est 11, eo quod venit post reformationem Calendarii et ad primum casum etiam pertinet, necnon ad ultimum *centenarium intermedium* (de quo supra n.<sup>o</sup> I) respicit. N. c. anni 933 est  $9 + 1 = 10$ , cum pertineat ad secundum casum, et 33 in prima sectione (de qua supra n.<sup>o</sup> II) inveniatur. N. c. anni 1499 est  $14 + 3 = 17$ , nam 1400 valet 14, et 99 valet 3. N. c. anni 1866 est  $9 + 2 = 11$ , nam 1800 ad secundum *centenarium intermedium* (de quo supra n.<sup>o</sup> I) pertinet, et 66 valet 2.

N. c. anni 765 est  $7 + 2 + 1 = 10$ , quia 700 valet 7, deinde 66 valet 2, ac denique differentia est 1. N. c. anni 1350 est  $13 + 2 + 5 + 1 = 21$ . Nam 1300 valet 13, deinde 55 valet 2, differentia est 5, et addi debet alia unitas pro anno bissextili 1352 intra differentiam comprehenso. N. c. anni 1595 est  $11 + 3 + 4 + 1 = 19$ , quia annus posterior est reformationi Calendarii et ideo non sumitur numerus 15 sed 11 (juxta dicta supra n.<sup>o</sup> I); deinde 3 est va-

lor numeri 99, et 4 est differentia, atque additur alia unitas propter bissextilem 1596.

Quando terminus comparationis *inferior* (in differentia) est bissextilis, tunc non considerari debet talis nempe (ut bissextilis), nisi mensis propositus fuerit Januarius vel Februarius. Similiter, dato *numero-Clavi* alicujus anni bissextilis, ipsi addi debet una unitas quandoque agatur de mense Januario vel Februario. Exempli gratia, in anno 140 n. c. est  $1 + 1 + 4 + 1 = 7$ , quia 100 valet 1, 44 valet 1, differentia est 4, et annus 44 est bissextilis, nulla alia unitate addita pro anno 40 quamvis sit bissextilis, quoniam terminus *inferior* comparationis est.

Valde meminisse juvabit, in quolibet operationis momento fas esse *numerum-Clavis* augeri vel minui, dummodo quantitas addita vel detracta sit numerus semel vel pluries *septenarius*.

Cognitis igitur *numero-Clavi* et littera seu *signaculum mensis*, jam obtineri potest nullo negotio problematis solutio, ut exemplis adjunctis patebit.

EXEMPLA: Quanam Feria venit dies 15 Maji anni 200? — Resp.: N. Clavis hujus anni est 2; signaculum mensis est V (dies Veneris) seu Feria sexta. Ergo, si dies 2 venit Feria VI, etiam dies 16, et ideo dies 15 fuit Feria V.

Quanam Feria venit dies 12 Decembris anni 933? — Resp.: N. c. hujus anni est  $9 + 1 = 10$ . Signaculum vero mensis est M (Feria III). Ergo dies 10 fuit Feria III, et ideo dies 12 fuit Feria V.

Quanam Feria venit dies 4 Februarii anni 140? — Resp.: N. c. hujus anni est  $1 + 1 + 4 + 1 = 7$  (ut supra vidimus), sed quia agitur de mense Februario et de anno bissextili, loco 7 sumitur 8 vel 1. Signaculum autem mensis est D (dies Dominica). Ergo dies 1 venit die Dominica et ideo dies 4 fuit Feria IV.

Denique, ut facilius possit dignosci quinam sunt anni bissextiles, sequentem normam proponere placet.

1.<sup>o</sup> — Quando paenultimus numerus (*decenas*) anni propositi est numerus qui *par* vocatur, nempe in duas partes aequo divisibilis, vel nullum valorem exprimit (*cero*), tunc annus erit bissextilis, si terminatur numeris: 0 vel 4 vel 8.

E contra, quando paenultimus numerus anni est numerus *impar*, tunc annus erit bissextilis si terminatur numeris: 2 vel 6.

Ab hac norma excipiuntur anni, duobus numeris nullis (*ceros*) terminatis, reformationi Calendarii posteriores, qui dumtaxat sunt bissextiles si numerus hujusmodi annum exprimens sit perfecte in 400 partes divisibilis, uti sunt annus 1600 et annus 2000.

En sufficienter elucidatum, ni fallor, systema pneumotechnicum Calendario Perpetuo respondens.

Tandem, quo facilius comprobari possit exemplorum, de quibus supra, rei veritas, subjicimus ejusdem Calendarii Perpetui aliam formulam, plus minusve concordem: attamen non *mente* sed *oculis* adhibendam.

ANNI MONADES										ANNI HECATONTADES									
0 1 2 3 4 5 6 7 8 9										0 1 2 3 4									
ANNI DECADES	0	a	b	c	d	f	g	a	b	d	e	5	6	7	8	9	10	11	
	1	f	g	b	c	d	e	g	a	b	c	12	13	14	15			15	
	2	e	f	g	a	c	d	e	f	a	b	16		17		18		19	
	3	c	d	f	g	a	b	d	e	f	g	20		21		22		23	
	4	b	c	d	e	g	a	b	c	e	f	a	5	6	7	1	2	3	4
	5	g	a	c	d	e	f	a	b	c	d	b	4	5	6	7	1	2	3
	6	f	g	a	b	d	e	f	g	b	c	c	3	4	5	6	7	1	2
	7	d	e	g	a	b	c	e	f	g	a	d	2	3	4	5	6	7	1
	8	c	d	e	f	a	b	c	d	f	g	e	1	2	3	4	5	6	7
	9	a	b	d	e	f	g	b	c	d	e	f	7	1	2	3	4	5	6
DUCTRICES LITTERAE										g	6	7	1	2	3	4	5		

MENSIVM SIGNACULA	DIES HEBDOMADAE							DIES MENSIS				
Jan=J Maj=V Sep=M	D	S	V	J	C	M	L	1	8	15	22	29
Feb=D Jun=L Oct=J	L	D	S	V	J	C	M	2	9	16	23	30
Mar=D Jul=C Nov=D	M	L	D	S	V	J	C	3	10	17	24	31
Apr=C Aug=S Dec=M	C	M	L	D	S	V	J	4	11	18	25	
In Annis Bissextilibus	J	C	M	L	D	S	V	5	12	19	26	
Januarius = C	V	J	C	M	L	D	S	5	13	20	27	
Februarius = S	S	V	J	C	M	L	D	7	14	21	28	

Littera ductrix crassiore caractere inscripta annum **BISSEXTILEM** denotat. Annus vero centenarius perfectus, inter bissextiles dumtaxat numerandus est, si illius hecatontades inscriptae crassiore caractere inveniuntur (in 2.<sup>a</sup> parte Tabellae). — Numerus 15 crassior ejusdem Tabellae partis, sumitur usque ad diem 4 Octobris 1582. A die vero 15 ipsius mensis et anni (decem diebus a Gregorio XIII suppressis) sumitur numerus 15 ordinarius. — Littera C (in parte 3.<sup>a</sup> et 4.<sup>a</sup> Tabellae) feriam IV repraesentat.

DE USU CALENDARII. — Columnam **INDICEM** pro toto mense proposito manifestam habebimus (in ultima parte Tabellae), si vel unius diei mensis convenientiam cum aliquo hebdomadis die noverimus. Hujusmodi vero convenientiam, pro quolibet anno et mense, praesens Tabella, nullo negotio, signaculis exprimit.

EXEMPLA: 1.<sup>o</sup>) Quanam hebdomadis feria venit dies 26 decembris 1955? — In 1.<sup>a</sup> parte Tabellae, subter monadibus propositi anni et e regione decadum ipsius, invenitur littera ductrix f. Deinde in 2.<sup>a</sup> parte Tabellae, sub hecatontasim propositi anni et e regione ductricis litterae f, numerus 6 (qui signaculum est totius anni) inscribitur. In 3.<sup>a</sup> parte Tabellae, agnoscitur litteram M signaculum esse mensis decembris. Unde illico compertum habemus diem 6

respondere debere feriae tertiae (nam M talem feriam repraesentat). Nunc vero, in 4.<sup>a</sup> parte Tabellae, dies 6 litterae M respondet in columna 4.<sup>a</sup>. Ergo haec ipsa columna INDEX erit totius mensis. Ex quo evidenter sequitur diem 26 decembris 1955 in diem Lunae (seu in feriam II) casuram esse.

2.<sup>o</sup>) Quibus in annis, 25 julii dies Dominica erit? — In 4.<sup>a</sup> partae Tabellae, numerus 25 litterae D respondet in 4.<sup>a</sup> columna. Deinde in ipsa columna, littera C (signaculum mensis julii) invenitur e regione numeri 7. Ergo anni omnes, quibus numerus 7 signaculum est, conditionem propositam implebunt, uti, ex. gr., 1954, 1965, 1971, etc.

3.<sup>o</sup>) Quonam mense anni 1956, dies 19 cadet in diem Mercurii (seu feriam IV)? — In 4.<sup>a</sup> parte Tabellae, dies 19 litterae C respondet in 2.<sup>a</sup> columna. Deinde in ipsa columna ac e regione numeri 4 (signaculum anni 1956) littera M posita est. Porro cum M signaculum sit mensium Septembris et Decembris, in ipsis ergo adimplebitur proposita condicio.

4

EUGENIUS M. QUINTANA, O.S.B.

In Abbatia Benedictina Montiserrati  
Ad Barcinonem (in Hispania)



# PER ORBEM

**Cursus aestivus in Universitate Pontificia Salmanticensi.** — Ex die quinto ad vigesimum quintum mensis Augusti, cursus XVIII pro litteris classicis et hispanicis fovendis Salmanticae habitus est. Cujus cursus moderatores hunc finem assequi studuerunt: Seminariorum professoribus — quibus cursum totum explendi non est facultas — cursus brevior conceditur ut, animis litteris classicis atque hispanicis informatis, aptiores ad munus docendi bene obeundum fiant.

Cursus in tres sectiones dispertitus est — Latinam, Graecam et Hispanicam — quarum quaeque variis lectionibus constat et commentationibus. En clarissimorum professorum nonnulla nomina: Exemus. doctor Aloisius Morales Oliver qui lectionem luculentam de aetatibus seu intervallis quibus lingua hispanica confecta est habuit; professor doctor Eugenius Hernández Vista cujus fuit acroasis de Libro II Aeneidos; professor doctor Emmanuel Fernández Galiano qui plenissime lyricos graecos pertractavit. Aliique sunt nobilissimi viri memoratu digni qui copiosissimis laudibus ab audientibus ornati sunt.

**Nova antiquae inscriptionis lectio.** — En nuntium quod inscriptionum peritis certo placebit. Verba quibus initium “*Fasti Triumphales Capitolini*” sumunt:

Cn. Cornelius —f.— n. Blasio, a. DLVII  
quoi quod Hispaniam *citeriorem* extra  
ordinem obtinuerat permissum est,  
ovans de Celtibereis...

a cl. viro G.V. Summer, inscriptionum et documentorum antiquorum perito aestimatore, quoad secundam et tertiam lineam attinet immutata est, novaque haec lectio post scientiae pervestigationem ab eo, “*exempli gratia*” tantum, est proposita:

Cn. Cornelius —f.— n. Blasio, a. DLVII  
quoi quum pro cos. *imperium* extra  
ordinem habuisset s. c. permissum est,  
ovans de Celtibereis...

Lector ergo animadvertet praecipuam innovationem ad mutationem verbi “*citeriorem*” pro “*imperium*” referri. Res vero, ut patet, sub lite exstat.

**Conventus de re classica aguntur.** — Congressus internationalis XI de arte grammatica et philologia romanica — Consilio Superiore Scientificarum Investigationum favente — permultis et doctissimis viris ex fere toto terrarum orbe (ex Japonia ad Lusitaniam) concurrentibus, a die primo usque ad nonum mensis Septembris celebratus est. Quo congressu, quem Exemus. doctor Raymondus Menéndez Pidal et Joannes Orr, in Universitate Edemburgensi professor honorarius moderati sunt, eruditius uberiusque disputatum est de ratione seu via artis grammaticae in genere (cl. v. G. Gabriel, Ivanescu G., Mondéjar Josephus, cet.), de lingua latina, de linguis cum antiquis tum hodiernis

quae ad sermonem latinum spectant (cl. v. Ball Vily, Lozovan E., Tovar Antonius, cet.), de lexico (cl. v. Beccaria G. L., Coteanu I., Sola Sabinus, cet), de semantica (cl. v. Banitt M., Lewicka Halina, Rey A., cet) de quaestionibus criticae et editionis textuum (cl. v. Banasevic Nikola, Geschiere I., cet.), de phonetica et phonologia romanica (cl. v. Avran Andrei, Elias Silvius, Serrano Sancho, cet.), de morphosyntaxi romanica (cl. v. Buescu Victor, Grad Anton, Viñas Rueda, cet.), de geographia linguarum, de vocum doctrina et phonologia hispanica (cl. v. Colon Domenech, Moral García Emmanuel, Müller Carolus, cet) deque aliis argumentis quae maximi sunt momenti.

—“*Institutum nationale pro fabula antiqua fovenda*”, a 27 ad 30 mensis Maji hujus anni, primum Congressum internationalem Syracusis celebravit. Cujus hoc fuit argumentum a moderatoribus enodatum: “*Il teatro classico nella storia delle idee e del costume*”.

—Congressus internationalis IV pro sermone latino vivo reddendo, Romae mense Aprili anni proximi 1966 coetur.

—Instituti germani praesides, cui est inscriptio “*Deutsche Archäologische Institut*” quodque Romae habet sedem, a die 26 m. Maji ad diem 5 m. Junii hujus anni, nonnullas scholas Pompeiis habere constituerunt ut magistri Pompeiorum historiam et artem et percallescant et doceant.

**Nova studiorum sedes** — In Urbini Universitate — Bruno Gentili professore moderante atque Consilio Nationali italico investigationes provehente— sedes studiorum de lyrica graeca antiqua et de metrica latina condita est, quam speramus uberrimos fructus allaturam.

**Lucae Evangelii commemoratio.** — Nobilissimus vir Chrisostomus Eseverri in Seminario Pampilonensi professor et apud linguae graecae cultores notissimus ex opere cui inscribitur “*Lexicon etymologicum vocum graecarum quae in sermonem hispanicum invectae sunt*”, felici exitu constituit Evangelii Lucae XIX festos dies saeculares agere. Ideo Evangelium Lucanum trilingue in lucem edidit uberrimo commentario philologico ornatum. Est quod cl. professori Eseverri ex animo gratulemur.

**Certamen Capitolinum XVII.** Instituto Studiis Romanis fovendis provehente, omnibus prosae latinae orationis cultoribus proponitur, ut ex nobilissimo ingeniorum certamine aliquid eniteat quod Quiritium facundia sit dignum. Qui victor discesserit argenteo sigillo, quod lupam Capitolinam imitabitur, et trecentis denariorum Italicorum millibus decorabitur. Ceteri petitores qui digni habiti sint, laude ornabuntur.

Exitus certaminis ante d. XI Kal. Majas anni 1966 —diem Urbis natalem— in aedibus Capitolinis a Romanae civitatis Magistro renuntiabitur.

Certare petitoribus licebit de fabellis fictis, de commentariis, de rebus historicis, de disputationibus philosophicis, cet.

Exemplaria quae quinque esse debent, mittantur ad *Istituto di Studi Romani* — *Ufficio latino* — *Piazza dei Cavalieri di Malta, 2, Roma* ante diem 18 Kal. Febr. anni proximi.

**Inventa archaeologica.** — Doctissimo viro Palol moderante, clarissimo in Universitate Vallisoletana Archaeologiae professore. laboriosae effossiones

prope Burgos in Hispania ad effectum perducuntur detegendi causa romanam urbem cui nomen "*Clunia*", quaeque Romanorum tempore ad Durium sita erat. Haec sunt, curiose lector, quae adhuc inventa sunt: figlinae et epigraphicae reliquiae, numismata, Forum, basilica, Praetorium, sarcophagus — columnis et lapidibus epigraphicis ornatus— qui a vicinis ad animantium aquarium nunc adhibetur. Effossus quoque est ordo viarum. Ex quibus omnibus, de ampla urbe antiqua agi colligitur, quae juxta historicorum sententiam sexaginta milia fere civium attingebat.

**Cum hoc anno novendecim sint saecula ex quo praeclarus ille philosophus** Cordubensis Lucius Anneus Seneca diem supremum obierit, ut laudi et decori hispani philosophi tantulum faveamus, nonnulla breviter de L. Senecae cognomine. Sanctus Isidorus, Hispaniae gloria, apud omnes viros doctrina instructos ex "*Etymologiis*" notissimus, asserit nomen "*Senecam*" ex verbis *senecans* componi. Sed reapse verba non cum re conveniunt, cum Seneca non sponte sed a Nerone jussu ad mortem se tradiderit. Apud hodiernos, cl. viri Holder et Pokorny Lucium Anneum judicantes celticum fuisse, Senecae cognomen curiose explicant; praeclarissimus vero philologus hispanus Antonius Tovar affirmat Senecae nomen ligustinum esse, quod idem valet ac "*senex*". Quae vox propinqua cognatione cum vocabulo indico "*sanaká*", cum gothico "*sineigs*", cum latino "*senex*" (a *senek-s*), cum hispanico "*senectud*" conjungitur. Sed quis fuerit primus "*senex*" qui cognomen suum filiis tradiderit... sapientes adhuc ignorant certoque ignorabunt.

**Opera classica in fobulo inducuntur.** — In Malacae theatro Romano —quod tria milia spectantium capit— fabulae nonnullos jam abhinc annos aguntur, ubi theatralis apparatus, audientium studium, multitudo ansam praebent ut opera antiquitatis classicae mirabili arte perficiantur. Curiositatis gratia, lectori libenti animo seriem offerimus operum quae in scaenam prompta sunt: Iphigenia a claro cinematographi censore Alfrido Marquerié theatro parata, aliaque Aeschyli, Sophoclis, Euripidis, Aristophanis, Menandri, Plauti, Terentii inclita opera.

**Necrologium.** — Classica philologia multis cum lacrimis e vita excessum dolet, cl. viri professoris Henrici Gregoire, qui per plurimos annos linguam graecam in Bruxelliensi Universitate tradidit. Euripidis editor, studiorum Byzantinorum peritissimus, Religionum Historiae magister, aliarumque disciplinarum doctissimus aestimator, tempora implevit multa.

—Praeter voluntatem, certiores sero lectores nostros facimus de obitu cl. v. professoris W. F. Jacobi Knight, classicarum litterarum in Universitate Exteriensi lectoris, cujus libri de Vergilio, linguae latinae cultores maxime illo tempore moverunt.

JESUS ARAMENDÍA, C.M.F.

In Seminario Claretiano professor

Alabonae ad Caesaraugustam (in Hispania)

# BIBLIOGRAPHIA

MARINELLI, JANUARIUS. — *Missionalis Apostolicus*, Tip. "Agar", Napoli, 1965, pag. 12.

De brevi opusculo agitur quo continentur duae imagines luce expressae Pauli VI quae ad internationalem Eucharisticum conventum in India celebratum spectant; epistula sequitur qua Emmus. Cardinalis A. Cicognani cl. poetae Marinelli carmen laudibus cumulat deque carmine S. Pontifici misso maximam habet gratiam; postremo lectori poema offertur, quod 113 exametris constat, ubi "**con fresca vena poetica**" "**che rivelano nell' autore perfetta padronanza della lingua di Roma e gusto elegante di umanista**" vivide pingit et exprimit itineris S. Pontificis in Indiam finem (... "**Fidei venit ut peregrinus ad Indos**") et Summi Pastoris laborem, qui S. Francisci aliorumque Missionalium vestigia secutus est.

Carmini brevis nuncupatio praemittitur.

INSTITUTO NACIONAL DEL LIBRO ESPAÑOL. — *Libros católicos de España*, Madrid, 1963, pág. 189.

Hoc praecipuorum librorum Hispanorum Catholicorum indice quem Institutum nationale pro libris edendis palam facit, manifestum proferre intenditur, si omnibus temporibus plurimi libri religiosi in Hispania vulgati sunt, a bello tamen civili anno 1936 inito ad nostram aetatem librorum catholicorum editiones maxime propagatas et multiplicatas esse. Quod signum est vis et Hispaniae cultus.

Librorum index complectitur: opera in genere, Sacram Scripturam, Theologiam Moralem et Dogmaticam, Jus

Canonicum, libros qui ad spiritum colendum spectant, ad familiam, ad adulescentes, ad historiam, artem, philosophiam, et studia classica.

Libro praemittitur epistula Emmi. Cardinalis Benjamini de Arriba et Castro. Liber hic absolvitur indice alphabetico nominum scriptorum qui in bibliographia commemorantur.

JESUS ARAMENDÍA, C.M.F.

BOUYER, LOUIS. — *Introducción a la vida espiritual*, Editorial Herder, Barcelona 1964, pág. 365.

In promptu habes, humanissime lector, librum quo cl. scriptor Aloisius Bouyer doctrinam et explanationem perspicuitatis plenam ad concordiam adducit. Ideo cum auctori propositum sit opus utile, simplex lectoribus praebere, ne nimiam bibliographiam scriptorumque locos afferat —quod nostris temporibus viget—, praebet vero opera maximi momenti quae maxima sunt auctoritate praedita. Praeterea, eodem proposito ductus, alumnis seminiorum, novitiis, religiosi, sacerdotibus omnibusque Christi fidelibus qui viam spiritus agere cupiunt, non quaestiones de perfectionis vita irretitas offert, sed verum scientiae perfectionis summarium praecipuorumque problematum ac principiorum et explicationem et solutionem, quibus animus illustratus celerius ad perfectionem Christianam iter suscipiat.

Lector animadvertet cl. auctorem Bouyer noluisse opus conficere quo partes alicujus scholas spiritualis foveret, cum persuasum haberet unam tantum spiritualem scholam unumque magistrum esse: Evangelium a Christo praedicatum.

Liber proemio (pag. 11-16) constat,

textu (pag. 17-358), brevi bibliographia (pág. 359-361) et rerum indice (pag. 365-367).

Brevem libri indicem lectoribus praebemus: I. **Vita spiritualis juxta catholicam traditionem**; II. **Vita spiritualis et Dei verbum**; III. **Oratio**; IV. **Vita sacramentalis**; V. **Vitae asceticae principia**; VI. **Exercitatio vitae asceticae et hominum cultus**; VII. **Crucis ascetismus et vocationum christianarum diversitas: vita spiritualis laicorum**; VIII. **Crucis ascetismus et vocationum christianarum diversitas: vita spiritualis monachorum**; IX. **Vocatio sacerdotalis et vocationes religiosorum**; X. **Vitae spiritualis enodatio: purificatio**; XI. **Vitae spiritualis enodatio: illuminatio et unio**; XII. **Vita mystica**.

CASANOVES ARNANDIS, ALOISIUS. — *Estructura de las oraciones latinas* (tercera edición), editorial Marfil, S. A., Alcoy, 1964, pág. 107.

Hujus libri cl. auctor studio motus viam Latinitatis facilem reddendi iis qui scriptoribus latinis vacant, rationem atque methodum simplicem, adumbratam excogitavit atque felici exitu proposuit. Ita alumni — arduis atque implicatis explicationibus liberi — grammaticam celerius discere mentemque latinorum scriptorum citius percipere possunt. Simplicitas ergo atque brevis, juxta magistri praeceptum "**Quidquid praecipies, esto brevis**", praecipuae sunt hujus libri virtutes.

Grammaticae expositio XXXVI tabulis graphicis collustratur, ubi summatim leges grammaticae lectori offeruntur; accedit quod exempla quibus praecepta ornantur optimorum sunt scriptorum classicorum qui magistri erunt perpetui sermonis latini. Ideo de viae ac rationis virtute quam prof. Casanoves Arnandis proponit nemo dubitare potest. Cujus rei, quod

liber ter editus est, magnum est pro auctore argumentum.

Quandoque vero (ex. g., cum pag. 182 de propositionibus "consecutivis" auctor agit) explanatio imperfecta nobis videtur; ideo difficillime alumni intellegent quibus temporibus modi subjunctivi hae propositiones construuntur.

Cl. professori tamen ex animo gratulamur quod rationem Latinitatem discendi brevem atque facilem alumnis tradere conatur.

JESUS ARAMENDÍA, C.M.F.

CURANTE INSTITUTO ROMANIS STUDIIS PROVEHENDIS. — *Certamen Capitolinum XIII* (MDCCCCLXIII) et *XV* (MDCCCCLXIII), Istituto di Studi Romani, Piazza dei Cavalieri di Malta, 2, Roma.

Duobus his opusculis quae lectoribus offerimus quaeque curante Instituto Romanis Studiis provehendis palam dantur, scripta illa continentur quae in Certamine Capitolino 1963-64 celebrato praemio ornata sunt.

Certamine anno 1963 in aedibus Capitolinis habito, primus victor declaratus est Josephus Morabito ex libello cui est nomen **Antitityrus**; alter vero Humbertus de Franco scripto qui inscribitur **Zizzi** (tigris historiola). Certamine anno 1964 celebrato primo praemio decoratus est Thebaldus Fabbri ob libellum cujus est titulus **Per Romaniolae fines et aprica rura**; altero praemio est donatus Herminius Paoletta qui commentatione **Ignotum oppidum** nomine certaverat.

Hae quattuor commentationes quae duobus his fasciculis colliguntur jucunda prosa oratione, facili, fluida vereque classica eminent, cum de viris nobilissimis agatur qui litteras latinas toto animo fovent.

JESUS ARAMENDÍA, C.M.F.

SANSON, HENRI. — *Espiritualidad de la vida activa*; Editorial Herder, Barcelona 1964, pág. 356.

Summatim exponamus doctrinam, quae hoc libro omni laude cumulado continetur.

1. Non agitur hoc opere de praepo-nenda oratione adversus actionem vel de actione adversus orationem, sed de lumine praebendo homini actionis quoad orationem attinet.

2. Auctor non conatur minimi facere doctrinam quae ad contemplationem refertur, sed tantum reicere quod nonnulli eã “unice” animos esse ducendos defendant.

3. Adversos eos animarum rectores qui tempus orationi et tempus actioni dicatum propugnant, clarissimus vir Sanson merito asserit non de tempore ad actionem vel ad orationem addicto quaestionem moveri debere, sed utrum propria uniuscujusque hominis vocatio — quae actione aut oratione signata esse potest — sinat necne vitam animi feracem habere.

4. Vita actionis et vita orationis quae ad diversam vocationem pertinet, necessaria est ut Ecclesiae vita, varietatis et fecunditatis plena, coram hominibus patefiat.

5. Cum laici in singulos dies vitae spiritualis Ecclesiae magis participes fiant, manifestum est doctrinam spiritus ad laicorum vitam aptiorem elaborandam esse.

6. Cl. v. Marx, qui aequationis bonorum fuit fautor, conciliare optime conatus est laborem, historiam et fraternitatem, sed doctrinam affert quae conscientiae optata non explet; quam doctrinam tamen nullo modo est reicienda nisi aliam aptiorem homini et christiano hujus aetatis praebamus.

Opus in tres partes dispertitur: Pars prima: **Spes et oratio**, pars secunda: **Fides et cognitio**; pars tertia: **Caritas et actio**.

Optimus hic liber cujus praeclara, nova, sapidissima doctrina nos delectati sumus, omnibus qui animi cultum fovere student maxime commendatur.

JESUS ARAMENDÍA, C.M.F.

RAHNER, CAROLUS. — *Sentido teológico de la muerte*; editorial Herder, 1965 Barcelona, pág. 128.

Nemo eorum qui in doctrinas theologicas incumbunt est qui ignoret quantum nostra aetate cl. scriptor Carolus Rahner, S.J., disciplinae theologicae eruditissimus, ad Dogmatum profectum operatus sit, libro hoc praesertim de morte christiana qui a domo editrice Herder evulgatus est.

Ab Ecclesiae doctrina auctor procedens, primum varias movet quaestiones de morte ut facto quod ad homines singulos attinet: (1. **Mortis universitas**; 2. **Mors ut corporis et animae separatio**; 3. **Mors ut status viatoris finis**); deinde de morte ut peccati consequentia cl. theologus Rahner subtiliter disputat: (1. **Adamus et immunitas mortis**; 2. **Mors ut culpa et ut naturae factum**; 3. **Mors ut salutis vel perditionis eventus**; 4. **Mors ut peccati originalis poena**; 5. **Mors ut peccatum mortale**; 6. **Mors et diabolus**); denique auctor doctrinae plenus veritates de morte ab Ecclesia traditas absolvit, de morte dico quatenus alia est unicuique hominum: (1. **Christi mors**; 2. **Christiani et “cum Christo commori”**; 3. **Sacramenta ut signa gratiae visibilia**; 4. **De martyrio**)

Praeit prologus quo auctor libri titulum aperit propositumque suum patefacit. Conversio ex lingua germanica in hispanicam a cl. professore Daniele Ruiz Bueno litterarum classicarum peritissimo nobis librum legentibus liquida, curatissima videtur.

Auctori ergo, interpreti, editoribus grates ob tantum librum persolvimus.

JESUS ARAMENDÍA, C.M.F.

# RISUM TENEATIS

## DE NUMERORUM MOMENTO IN VITA HODIERNA

Antiqui homines qui arithmeti corum fuerunt excogitatores, multo minus quam nostrae aetatis homines, numeris usi sunt. Tunc temporis litteras, artem oratoriam, philosophiam, ingenuas artes fovebant. Nostris tamen temporibus omnia numeris regi videntur. Signum enim hodiernorum hominum celeritas est et simplicitas. Quare cum facilius sit numeros quam rerum nomina in memoriam reducere, pedetemptim, quin fere animo rem consideremus, in numeros nos conferimus. Cum quis nascitur aegrorum ministra taeniola plastica circum carpum numero signata infantem induit; primus cibus solidus ab infante sumptus numero, exempli gratia "Diaeta 680", notatur. Nosocomia, medicinarum tabernae, instituta, medicamina, instrumenta numeris signantur, quia sic temporis compendium fit. Numerorum expers, nec autocinetum ducere potes, nec solvere nec accipere pecunias, nec ab officina tabellaria fasciculum seponere...

Nemini dubium est quin numeri hominibus maximi sint momenti ad vitam agendam. Ad hoc igitur necesse est unumquemque seriem numerorum habere propriam. Ideo necessarii sunt numeri ad telephonio colloquendum, ad fruendam socialem securitatem, ad natale tuum probandum...

Si autocinetum emis, quam primum in matriculae ordinem refferendus es; si custodes urbis a te postulant, tesseram praebere debes, quae tuam imaginem referat tuique fidem faciat; si forsitan in vincula conjectus sis, sub tua photographia numerum quoque habebis...; si argentariam petis, necesse est omnia numeris fieri.

Summatim quamquam saepissime nomen tuum utile est permultis rerum adjunctis, tamen cum necessarium revera non sit, nomen tuum omittitur, quia numerus fidem tui jam facit.

Ideo non desunt sapientes argutique homines qui in posterum proponant ut, simplicem et expeditam vitam hominum faciendi causa, unusquisque cum nascatur numerum proprium habeat qui isdem ad tesseram, album, telephonium, matriculam, chartam nummariam inserviat.

SERVATOR AGUIRRE, C.M.F.

## ALBI CIGNI TEMERITAS ET PAENA

Oenianda vel Rhodii, in urbe celeberrima prope Cauras latissimus jacet lacus seu melius stagnum nitidis undis, luco magno circumdatum, in quo nivei coloris habitabant innatabantque cygni duo.

Ninguidus —quod nomen erat cygno— ejusque socia et conjux Albula omnium, qui lacum frequentabant, rusticandi invisendique gratia, deliciae erant et gaudium. Autumno tamen exeunte primoque hyeme, qui locum inspiciendi causa convenerant in suas quisque aedes abiere omnes.

—Alio nos quoque proficisci opus est, dicit Albulae Ninguidus.

—Quo evolabimus, quodve sequemur iter? Haec quae circumstant adeo mira sunt ut magno in illis relinquentis maerore opprimar.

—Tecum sum, omnium carissima, corculum et desiderium meum! Alibi sunt verumtamen, quibusvis terrarum partibus, peramoena loca et illimis lacus liquidique fontes. Advenientis hiemis frigori ferendo impar omnino sum; aprica quaelibet petamus et vere exorto iterum lacum nostrum repetamus, quid tibi videtur?

—Te sequar quocumque ieris, respondit Albula, hac data acceptaque condicione.

—Promissis stabo illisque lubenter parebo. Consiliis habitis, primo mane iter instituam ipse solus, ut tectum, quo fieri potest tutius loco, ponam; inde domum repetam ut una simul illud, si tua id voluntas ferat, contendamus. Idem per te constat?

—Esto; te sacramento coactum et jurejurando obstrictum volo; cura ne per te irritum evadat.

Insequentis diei primo exoriente lumine, in novis sibi parandis aedibus

solus viam inivit Ninguidus; vixdum medio itinere facto, contemplantes caelum avem insignem conspicati sunt venatores nugas ineptiasque congarrientes. Aciem in altum intendite, clamat oculus ex ipsis unus; en vobis cygnum, quod per raro fit, sine comite errantem. Insignis vobis praeda fortuito offertur, numquidnam in illum explodere animi est?

—Quo pignore certas, adjicit venatorum senior; nullaque interposita mora, avem observans, ictu oculi, puncto temporis, globulis trajicit, quae duris pinnis sauciata, animam paene efflans, in ima terrae corruere visa sine dubio est.

Risu concrepantes iter inceptum cavillatores homines, missum Ninguidum inter rubeta facientes, persecuti sunt. Qui tamen sub exitu vitae nondum erat. Magna plaga sub alis vulneratus, multo sanguine eoque rubro redundabat, sed vires relictum hospitium ad repetendum iterum sufficiebant. Itaque exili volatu neque magnis itineribus, parentalis lacus, quo de conjugis sorte plus solito sollicita Albula socium praestolabatur, ripas Ninguido capessere fas fuit.

Adventanti domino, damni quidpiam ei obvenisse angustiis oppressa divinans, obviam venit. Quae est in horrorem conversa dum ex plagis mananti sanguine tinctum lacum vidit.

—Quid rei accidit, Ninguide, vita mea, quis tam ferox malum tantum, animula mea, intulit?

—Nihil est, soror et conjux mea, nihil est quod timeas; gemitibus parcas oro, meus ignis; brevi sanus fiam; tunc denique tecum una proficissemur peregre.



—Equidem malum tibi imminens animo praesciscobam, cur te sine me solum abire sum passa?

—Vaferrimi et immanes sunt homines, Albula, et immisericordes; conscii ipsi nequitiae suae, alios perdere malisque obruere student et amant. Mitte lacrimas et solare parumper; brevi me sanatum iri firma certa

fiducia est.

Igitur paucis post diebus vulnus illatum sanatum est; mense jam exacto itineri se uterque commitebat dum immixta sanguine aqua rubros pedes mirabatur; ex quo tandem fit ut cygnis candentis vestis pedes sint rubelli.

RAYMUNDUS SARMIENTO

## DIVITES DISCANT...

Famulus qui apud hominem divitem serviebat, plurimos capones, largum cibum quotidie praebens, alebat. Omnes igitur pingues erant, praeter gallum indicum unum quem ceteri deridebant et nanum corporis exiguitate vocabant. Pridie Christi Natale, cum herus ad cenam invitasset amicos, coquum admonuit: "Hac nocte, tres nobis mactabis capones pingues".

Cum de re galli indici certiores essent, capo nanus et pussillus, ad socios se convertens:

—"Ubi, inquit, nunc illa adversus me ludibria? Quare tacetis? Vos miseri!

Hac nocte tres ex vobis cena eritis hominum... "Ego vero nanus, macer, qui vobis sum irrisui vitam felicem in villa agam..."

Vita docet miseros plerumque tutiores esse quam divites.

DANIEL MUNGUIA

## DE MEDICO MENECRATE

Optimum medicum quamvis superbum, Thracii Menecratem putabant. Ideo cum plurimos infirmitate laborantes curaret, omnes eum laudibus cumulabant eumque deum habebant. Ipse seipsum Jovem vocabat virtutemque divinam sibi tribuebat.

Sed Philippus, Macedonum rex, qui tantam superbiam punire cupiebat, eum ad lautissimam cenam invitavit, jussitque Menecrati mensam seorsum parari. Servi thura medico uti deo ingerebant, nihil vero ei offerebant quia deus esset. Ceteri convivae gaudio pleni potabant.

Primum Menecrates summa laetitia, affectus honores recipiebat; sed tandem fame pressus cibum et potum a servis postulavit. Tum rex surridens:

"Dei, inquit, nec edunt nec potant..."

Quo Menecrates rubore affectus abiit.

ANTONIUS VILLALTA

## Pastoris et apri fabella

Fuit quondam imperator qui silvam magnam habebat, in qua vitam agebat aper ita saevus ut omnes ad eum accedentes necaret. Hac re imperator maxime contristatus, per totum imperium edidit eum qui aprum occideret fore ut filia una cum regno, post suum decessum, potiretur.

His edictis ne unus quidem qui belluam petere auderet inventus est.

Cum vero pastor stirpe obscura et humili natus, de hac re certior factus esset, continenter secum cogitabat: Si aprum interficere possem, ego rex magni imperii renuntiarem...

Haec cum animo volvens, baculum cepit, silvamque intravit. Simul ac pastorem saevus aper vidit, in eum toto conamine irruit. Pastor vero in arborem ascendit. Aper furere accensus, arborem corrodere incepit ita ut pastori ea cito prolapsura videretur. Sed cum arbor fructibus abundasset aprumque pastor esurientem videret, hic belluae projiciebat projiciebatque fructus, quos aper gulose manducabat. Tandem expleta apri fame, sub arbore recubuit tranquilleque obdormivit... Tum pastor: "Teneo, ait, quam optabilem occasionem"; descendensque ex arbore captoque cultello, caute ad aprum accedit et in apri capite eum defixit.

Quare filiam imperatoris duxit et post regis decessum, pastor rex creatus est.

PERFECTUS MOLL  
Celsonae (in Ilerda)

# ΧΑΙΡΕ, ΜΑΡΙΑ

*mf.*

Χαίρε Μαρία κεχαριστομένη ὁ κύριος

Musice concinnavit  
C. ARAMENDÍA

με τὰ σοῦ - εὐλογημένη σὺ ἐν

ἡ γὰρ ἡσυχία καὶ εὐλογία μένος ὁ κρησῆρας

*iaato*


κοιλίας σου ἦν σοῦ

## AENIGMA VERGILIANUM

Si verba hexametrorum Vergilii celata inveneris, et aenigma verborum propositum invenies. Animadvertas tamen oportet crucigramma in transversum tantum proponi.

Excogitavit  
ANGELUS PÉREZ

1. — Et si... deum, si mens non laeva fuisset  
Quidquid id est, timeo Danaos et... ferentis
  2. — ...atque oculis Phrygia agmina circumspexit
  3. — Nec... enim, donec Calchante ministro
  4. — Sanguine placastis ventos et.. caesa
  5. — Fit... spumante salo; jamque arva tenebant
  6. — O lux Dardaniae, spes o fidissima...
  7. — Quo res summa loco, Panthu quam... arcem?
  8. — Ingens ara fuit juxtaque... laurus
  9. — Talia vociferans gemitu tecum... replebat
- Ter conatus ibi collo... bracchia circum



# BIBLIOGRAPHIA

DES PLACES, ÉDOUARD. — *Platon: Lexique*; Paris, Société d'édition "Les Belles Lettres", 95, Boulevard Raspail, 1964, pag. V-XIV et 1-316.

"Corpus Universitatum Gallicarum" quod, consociatione "Guillaume Budé" favente, vulgatur, opere alio summa cura elaborato augetur; quod sine dubio a cultoribus litterarum graecarum maximo plausu accipietur.

Lector vero animadvertat, quaeso, non de Lexico Platónico agi quo voces universae operum Platonis continentur (consule ad hoc "Lexicon Platonicum" a F. Ast editum, Darmstadt 1956), sed tantum de vocabulis philosophicis et religiosis.

Ad hoc lexicon conficiendum, textus Corporis Universitatum Gallicarum adhibitus est, qui, quo ad nonnullas lectiones attinet, a cl. v. Burnet completus est. Quo ad vero ad definitiones attinet quas permultae voces habent, auctor lexico nomine "Vocabulaire technique et critique de la philosophie" a A. Lalande divulgato usus est. Ex lexico nomina propria heroum vel deorum excepta sunt, cum "Lexikon Academicum" a J. Zürcher (Paderborn, 1954) in lucem datum sit ubi nomina haec propria religiosa contineantur. Prologum (pag. V-VIII) sequitur bibliographia generalis et nonnullarum vocum propria quae maximi sunt momenti (pag. IX-XIV), contractiones nominum et lexicon (pag. 1-316). Quod lexicon — pars pri-

ma tantum edita est— litteras A-A complectitur.

Lexicon utilisimum videtur cum ad unamquamque vocem loci Platonis omnes commemorantur ubi verbum invenitur.

Gratiam ergo maximam habere debemus auctori et consociationi "Les Belles Lettres".

SERVATOR AGUIRRE, C.M.F.

BRISSET, JACQUELINE. — *Les idées politiques de Lucani*; Paris, Société d'éditions "Les Belles Lettres", 95, Boulevard Raspail, 1964, pag. 236.

Hoc est propositum quod cl. auctor libri habuit: quaerere, per notitias quae in *Pharsalia* praebentur, quid de evlutione historica qua Roma ex re publica ad summum imperium ducta sit Lucanus senserit.

Sed ut cl. f. Brisset rectum de ideis politicis Lucani iudicium ferat, praeter fontem primigenium qui *Pharsalia* est, origines quoque et familiares traditiones Lucani exquirat, primas ejus disciplinas investigat, condiciones tandem vitae societatis Romanae quibus Lucanus aetatem egit perscrutatur.

Liber in tres partes dividitur, quarum in prima de aspectibus historicis et philosophicis *Pharsaliae* fit quaestio; in secunda de *Fortunae* virtute in bello civile agitur; in tertia vero parte conciliationem summi imperii

et libertatis scriptor disserit. In postremo libro cl. f. Brisset copiosam bibliographiam lectori offert.

Opus dignum est quod eis qui de re politica apud antiquos scriptores inquirere cupiunt toto animo commendetur.

SERVATOR ACUIRRE, C.M.F.

LECLERQ, JACOBUS. — *El derecho y la sociedad*; Versión castellana del Dr. Ismael Antich, Editorial Herder, Barcelona 1965, 14 x 22 cm., 336 pág.

Auctor in praefatione asserit se proposuisse librum in lucem dare "para ser leído". Agitur ergo de opere quod non tantum rerum socialium periti ad manum habent, sed etiam omnes lectores qui verum invenire student et sententias suas de quaestionibus socialibus definire cupiunt. Sed verum explorare, cum de discipli-

nis quae ad societatem referuntur agitur, opus est difficile quia plerique homines non quod in natura ponitur sed quod sibi placet his doctrinis exquirunt.

Igitur cl. auctor Leclerq has quaestiones penitus investigat, exponit ac perpendit principia generalia philosophiae juris, fundamentum quaerit rationi consentaneum harum veritatum certaue principia socialia a traditionibus quae minimi sunt momenti distinguit.

Praeterea cl. scriptor verbis nimis technicis non uti conatur, quo consequitur ut opus summa claritate scriptam sit et ut ad omnium fere legentium manus veniat.

En libri brevissimus index: **Juris naturae problema — Quaestio de communis utilitatis studio juxta hodiernam philosophiam — De colonum jure — Officii erga patriam fundamentum — Joannes-Jacobus Rousseau.**

JESUS ARAMENDÍA, C.M.F.